

II K  
313

h. 2, 35.

L. M. - H/ 273

L

B

E

I

L

GEORGII BEYERI  
I. V. D. PANDECT. P. P. VITEMBERG. ET  
DICASTERIORUM IBIDEM ASSESSORIS  
DELINÉATIO  
HISTORIÆ IVRIS  
ROMANI ET GERMANICI  
AD TIT. PAND.  
DE ORIGINE JVRIS  
POSITIONIBVS SUCCINCTIS  
COMPREHENSIA  
ITERVM SEORSIM EDITA ET SCHOLIIS  
NONNVLLIS AUCTA.



---

LIPSIAE,

---

Impensis hæredum JO. FRIDERICI BRAUNII,  
MDCCXXXIX.





*Lectori Benevolo*

Heredes Bibliopolii

S.

**P**ostquam Delineatio Juris Civilis secundum Institutiones & Pandectas, ut & Juris Feudalis, Beyeriana nundinis vernalibus proxime exactis quartum recusa e Bibliopolio nostro prodiit, esse, qui præsentem Juris Romani pariter, atque Germanici accuratam & brevem Historiam, quam positiones ad ff. Tit. de Orig. Jur. exhibent, seorsim excusam vellent, intelleximus. Huic autem desiderio tanto magis satisfaciendum duximus, cum eandem Historiæ Juris delineationem forte non minus prælectionibus subjici, quam juris cultorum usibus inservire, atque

A 2

tam

tam noscendæ primum, quam repetendæ utriusque Juris Historiæ ab his cum fructu adhiberi posse, edoceremur. Itaque uti de positionibus his affirmare licet, nullam hucdum æque brevem & concinnam, ac, quoad institutum B. Auctoris tulerit, plenam Juris, quo in Germania utimur, Historiam extare, quam qualem illæ complectuntur: ita novam hanc earum editionem, tum & scholia recens adjecta, quæ asterisco ab Auctoris curis discreta vides, haud ingrata fore, prorsus confidimus. Lips. cIɔ Iɔ CCXXV.  
Haec olim scripsimus. Jam dum nouam editionem Tibi exhibemus, L. B. quid in hac a nobis sit praestitum, id partim ex emendatis sphalmatibus & erratis, partim ex nouis sub crucis signo (†) scholiis ipsem et facile intelliges. Haec temporis penuria exclusi Te tantum monere voluimus. Vale !

DELI.

DELINEATIO  
HISTORIAE IURIS  
TAM ROMANI, QVAM  
GERMANICI,  
ad Tit. ff. de Origine Juris.

I.

**J**us Humanum, quo utimur in Germania nostra, vel Romanum est, vel Germanicum.

SECTIO I.  
DE JURE ROMANO.

2. Juris Romani multa capita a Romanis inventa, plura aliunde allata. Conf. can. 1. &  
2. *Difft. 7.*

3. Hæc maximam partem inde a Mose usque, per continuam propagationem sunt deducta. Vid. *Mornaeus de verit. Relig. Christ.* cap. 8. p. m. 140.

4. Facit huc Licinii Rufini Collatio Legum Judaicarum & Romanarum, exhibita a) a Lee-

A 3 wio

a)\* Primum eam ex antiquissima Mandubiorum Bibliotheca notis luculentis illustrataim edidit *Petr. Pittheus* Lutetiae 1572. 4. Adjecta est postea & Francisci Pitthei Observationibus ad Codicem, Paris, 1689. & Cod. Theodosiano cum aliis juris veter. reliquiis. Extat nunc in Jurisprudentia veteri Ante - Justiniane Anton. Schultingii, cum P. Pitthei & Schultingii no'is.

wio de O. J. p. m. 605--710. item Henr. Giseberti *Deuteronomium Harmonicum* Hamb. 1677. 4.

5. Quamvis hic non iste Licinius fuerit, qui Pauli ætate b) vixit, prout evincit Menag. *Amœnit. Jur. Civil. cap. 7. p. m. 37. seqq.*

6. Historiam hujus Juris in l. 2. b. t. Pomponius, (veluti nonnullis videtur, sub ejus nomine *Tribonianus* c) attigit magis, quam exposuit.

7. Aliud vero ante Justinianum, aliud sub eo, aliud post eum floruit.

### MEMBR. I.

## DE JURE ANTE JUSTINIANVM.

8. Jus ante Justinianum pro triplici statu : Regio, populari ( vel potius bicipiti & irregulare; Vid. *Pufend. Dissert. academ. 7. de forma Reip. Rom. pag. m. 453. seqq. p. 501. seqq.* ) ac Imperatorio variat.

9. Re-

b) Sub Antonino Caracalla, Alexandro, Gordiano & Decio Imperatoribus. (Vid. *Panciroli. de clar. Legum Interpretibus*, L. 1. cap. 62.) \* quamvis id certum ponat *Cujacius Observ.* XII. c. 10. 16. & 32. XIV. c. 4. XXI. c. 11. qui eum Licinium Rufinianum vocat, & Christianum fuisse credit, eundemque esse, qui Paulum in l. 4. ff. quib. ad libert. procl. non lic. consultit.

c) Ita *Hotom. in Anti-Triboniano* c. 12. p. m. 160. totam l. 2. b. t. nihil, nisi fabulas & deliria Triboniani esse, suppositamque sub falso nomine & titulo Pomponii assertit, Add. *Ludov. Charond. Antiq. Rom. Lib. I. cap. 12.*

9. Regum primus, Romulus, manu magis,  
quam legibus regebat. *I. 2. §. 3. b. Rævard. de  
autorit. prudent. cap. 1. p. m. 947.*

10. Ipse tamen postea *suffragio subditorum*  
leges scriptas, sed paucas tulit; multas etiam  
non scriptas. *Dionys. Halicarn. Antiquit. Rom.  
Lib. 2.*

11. Hujus enim privilegii populum, qui ex  
libero arbitrio in Rempubl. Monarchicam co-  
aluerat, participem reddebat.

12. Nimis confidenter vero *Balduinus in  
append. Commentarii ad Institut. edit. Hardessian.  
XVIII.* Romuli Leges ex columna Capitolina,  
ut putat, recenset. d)

13. Successor Numa Pompilius plures, tan-  
quam ab Egeria Nympha acceptas, ferebat,  
in primis circa cultum Deorum. *Liv. L. 1.c. 19.*

20. 21. *Dionys. L. 2. e)*

14. Hujus Numæ leges Ancus f) Martius  
tabulis ligneis seu roboreis *ιν δεκτας σταυροι*  
( nam ærearum usus Romæ nondum erat ) in-  
scriptas, in foro populo proposuit. *Dionys.  
Lib. 3. g)*

## A 4

## 15. Sex-

d) Præter Balduinum ad LL Regias commentatus est  
*Anton. Cl. Sylvius Paris. 1603. 4to.* Adde, quæ dixi  
*Specim. I. autor. Jurid. n. VII. p. 80. seqq.*

e) \* Non solum Jus Pontificium ordinavit, sed & leges  
jura Gentium respicientes tulit, multaque alia egregia  
instituit, ut, funerum sumptus vetando; lege de prædiis  
terminandis, &c. *Dionys. II. p. 124.*

f) Idem Ancus Jus Feciale f. militare condidit. *Liv. L. I.*  
g) \* Tullii Hostilii lex de Trigeminis ad pubertatem us-

15. Sextus Regum, Servius Tullius tum de aliis rebus varias, tum de Contractibus & delictis leges quinquaginta h) tulit, referente Dionysio Halicarn. Lib. 4. p. m. 323. & 327.

16. Hisque Servii Legibus Reges etiam obstrictos fuisse, scribit Tacitus Annal. L. 3. c. 26.

17. Leges istae vocabantur Regiae, quarum unius memoria superest in l. 2. ff. de mort. infer.

18. Item curiatæ, i) populo in triginta curias diviso. Gothofr. Man. Jur. p. 4. & centuriatæ, disparito nempe populo a Servio Tullio in 192. centurias.

19. Siquidem Romulus, cum subditi sui ex libero arbitrio in Rempublicam Monarchicam coalescerent, voluit eos legum ferendarum participes facere, ut eae se rogante suffragio Curiarum ferrentur.

## 20. Eas-

que alendis & lex de Provocatione notæ sunt ex Dionys. III. p. 160. & Liv. I. c. 26. Tarquini Prisci lex de insignibus Regiis memoratur a Dionys. III. p. 196.  
 h) Sed postea Tarquinius superbus iis abrogatis omnia rursus manu Regia administravit. Dionys. L. 4.  
 i) \*a comitiis, in quibus latæ. Sigan. de antiqu. Jure civ. Rom. I. c. 17. Comitiorum tria genera extiterunt, curiata, centuriata & tributa. Curiata Romulus, centuriata Serv. Tullius, tributa tribuni pl. in remp. intulerunt. Et curiata quidem dicta sunt, cum Populus in curias, centuriata, cum in centurias; tributa, cum in tribus descriptus suffragium init. Erudite scripsit de comitiis Rom. libb. 3. Nic. Gruchius.

20. Easque Papisius (cujus posteri Papirii vocabantur, *Rævard. p. m. 948.*) durante adhuc statu regio collegit, unde vocantur Jus Civile Papirianum. *I. 144. d. V. S.*

21. Ad hoc jus Civile Granium Flaccum Commentarium scripsisse, Paulus Autor est in *I. 144. de V. S.*

22. Regibus ob stuprum Lucretiae Collatinæ illatum anno U. C. 244. exactis intempestivum populi odium leges earum simul abolebat, maximo rei Rominæ incommodo. *Dionys. Halicarn. L. 2. antiquit. & Liv. i. cap. 57--60.*

23. Abolitio ista non lege Tribunitia fiebat, sed desuetudine. k) *Thomas. Disput. de Næv. Jurisprud. Roman. & Rittershus. dodecad. proœm. c. 4.*

24. Conciliat utramque opinionem *Cujacius de O. J. Lege Tribunitia*, i. e. illa, qua Tribuni constituti sunt, leges plebejæ vigere, & propterea regiæ per desuetudinem exolescere cœperunt. 1)

A 5

25. Idque

k) Et, si quid ex legibus regiis usū servaretur, id non legi expressæ, sed moribus majorum tribuebatur. Sic lege Romuli constituta patria potestas *moribus* recepta dicitur. *I. 8. ff. de bis, qui sunt sui &c.*

1) \* Probabilius est, quod *Rittershusius ad LL. XII. Tabb. p. 9.* observat, non leges Regias Tribunitia lege exolevisse, sed Reges ipsos lege Tribunitia, i. e. Junia de imperio Consulari, a Bruto Tribuno Cœrum lata, proscriptos innui a Pomponio. (†) quae sententia quoque est *Feltmanni in Comment. ad Digest. lib.*

25. Idque patitur textus *I. 2. de O. J.* ubi verba : *lege Tribunitia*, non instrumentum denorant, per quod ; sed *occasionem*, ex qua leges Regiæ florere desierunt.

26. Et a lege Tribunitia ad *LL. XII. Tabb.* computatum tempus recte dicitur m) 20. (†) annorum in *d. I. 2. §. 3.* cum a Regibus exactis essent circiter LX. anni.

27. Quippe Anno U. C. 300. tres viri in Græciam missi, *Liv. Lib. 3. c. 31.* non decem, ut habet *L. 2. §. 4. de O. J.* ut athenis & Lace-dæmone n) leges peterent.

28. Quasi vero leges Græcorum etiam accommodatae fuissent statui Romano, & ipsi leges

*I. & II. & Corn. van Bynkershoek. in Prætermiff. ad l.  
2 D d O.J. §. 3.*

m) Nunc secus v. detur: nam Lex Tribunitia lata A.U.C.

260. Vid. infr. pos. 62. adeoque plus quam 40. anni intercedunt.

(†) Enimvero in dicto §. 3. non viginti, sed Viginti annis i. e. sexaginta legendum esse, valde probabiliter conjicit *Bynkershoek. in Prætermiff. ad l. 2. D. d. O. J.*

n) Hinc notandum, non omnino inutilem esse Legum Atticarum & Laconicarum scientiam, quarum illas *Job. Meursius in Themide Attica, Traject. 1685. 4to.* & *Samuel Petitus in LL. Atticis, Paris. 1635. fol.* editis, item *Desid. Herald. in Questionibus & Observatio-nibus ad Jus Atticum & Romanum, Paris. 1650. fol.* *Rittershusius Collatione Legum Atticarum & Romanarum.* Porro *Pratejus in Jurisprud. veteri, sive LL. Draconis & Solonis Gr. Lat. Lugd. 1559. 8vo.* Has vero Nicol. *Cragius de Republica Laced. Lugd. Bat. 1670. 8vo.* illustrarunt.

leges sibi convenientes sancire non potuissent. o)

29. Verum eousque jam processerant discordiae Romanæ, ut, cum neuter fidem alteri haberet, utraque pars a tertio leges peteret.

30. Lepide hic inepti p) *Accurs. in Gloss.*  
ad. l. 2, §. 4. lit. R. de O. J. disputationem sapientis Græci cum morione Romano sistens.

31. Cujus fabulæ veritatem nihilominus defendit Steph. *Forcarulus in append. Penus Civilis, seu Tractatus de alimentis, Lugd. 1550. editi.*

32. Triennio post leges a Græcis allatae, opera Hermiodori, exulis Ephesini, in linguam latinam non satis feliciter versæ, q) & decem tabulis æneis inclusæ.

33. *Aeneis*

o) Multo prudentius placebat Lacedæmonijs, ne aliorum leges coimendarentur, aut recitarentur ; vid. *Crag. de Republ. Laced. Lib. III. Tab. IIX. Instit. 7. p. m.*

296. quo ipso solos Lacedæmonios toto terrarum orbe per septingentos annos unis moribus, & numquam mutatis Legibus suo tempore vixisse, *Cicero pro Flacco* testis est. Simile Majorum nostrorum Institutum ex Lehmanni Chronicō Spirenſi & Capitularibus Caroli M. commenmoravi in *not. ad Disputat. D. Sam. Gottl. Manikii, de incommodis Concurſ. Creditorum Saxonici. §. 5.*

p) Parum abest, quin jam ſuspicio, Accurſum hic egilſe Satyricum, & hoc Romanorum institutum, leges a Rebus publicis extraneis requirendi, falso riſiſſe.

q) \* Magis interpretis munus ſubiſſe videtur Hermodorus, ſcilicet, ut vim & æquitatem legum Græcarum ex-

33. *Aeneis* inquam, non eboreis, r) ut Pomponius, qui ad suorum temporum mores respxisse videtur; tunc enim referente *Cujacio ad L. 2. de O. f.* SCta libris seu codicibus eboreis, vel elephantinis fuerunt comprehensa.

34. Interpreti Hermodoro ob navatam operam statua in foro posita. *Cic. 5. Tusc. Quæstion. Strab. L. 14. Plin. lib. 34. cap. 5. Diogen. Laërt. in vita Heracliti.*

35. His conservandis & juri exinde dicundo Decemviri præfecti.

36. Subsecuto anno duæ tabulæ, ex surculis legum Regiarum s) & jure consuetudinario compilatae, superadditæ fuerunt.

37. Ita-

plicando Xviris adesset. *Schubart. de fatis jurisprud. Rom. Ex. II. §. 33* (†) Vide tamen *Strabonem*, qui in *Geograph. Lib. XI V.* Hermodorum leges Romanis scriptæ, ait.

r) \* *Gothofredus* legit: *roboreis*. Fortasse initio, & antequam publicarentur, propositæ sunt in eboreis, aut roboreis tabulis; postquam omnium consensu receptæ, & confirmatae essent, *σύλλας καλκαῖς*, tabulis æneis. (†) Atque ita Pomponium & Dionys. Halicarnass. conciliat *Bynkershoek. I. c. §. 4.*

s) Imprimis earum, quæ de contractibus agebant, quasque Tarquinius abrogaverat. *Dionys. L. 5.* an forte ex his superfluit contractus consensuales, quorum originem alias indagare difficile est? admissa vero hac conjectura, non obstat vera & generalis LL. X. tabb. regularia: omnes contractus regulariter require stipulationem.

37. Itaque a. u. c. 305. duodecim tabulæ promulgatæ , quarum fragmenta collegit & commentariis illustrarunt *Jacobus Gothofredus, Conradus Rittershusius & Franciscus Balduinus.* t.)

38. Stylus earum ita obscurus erat, ut nec Ciceronis (†) tempore intelligi amplius potuerit, cuius philosophemata de vocabulo lessus in vulgus nota sunt.

39. Videtur vero Populus Romanus eas in perpetuum recepisse, & nisi verosimilitudo circumstantiarum fallit, jurejurando, u) vel certe sponsione, ne ab iis recederetur, firmasse, unde definitio legis, quod sit *communis Reipubl. sponsio.*

40. Adde, quod hæ leges in Carmen solenne evaserint, x) a pueris statim memoriae mandatae.

## 41. Ni-

t) Porro *Nicol. le Sueur.* item *Anton. Clar. Sylvius Paris.* 1603. 4to *Ricardus Vetus in not. ad LL. Decemvirorum in XII. Tabb. Atrebat.* 1598. 8vo. *Theodor. Marcilius in Interpretamento LL. XII. Tabb. Paris.* 1603. 12mo *Basinſtochius ad Leges Decemvirorum, Atreb.* bat. 1597. 8.

(†) Qua de re quæritur *Tusc. Quæſt. lib. II. c. 22.* & *de Leg. lib. II. c. 23.* add. *Polybius lib. III. c. 22.*

u) Jam reperio, hanc sententiam fatis probataim a *Paulo Merula de LL. Roman. c. 1. n. 24.*

x) Forte ex imitatione Lacedæmoniorum, §. 10. *Inst. de J. N. G. & C.* (†) Factum hoc est forsitan, postquam a. u. c. 363. urbs & XII. Tabulae Gallico incendio conflagrarunt. *Liv. lib. VI. c. 1.*

41. Nimia vero harum legum brevitas & obscuritas desiderabat I. *interpretationes prudentum*, quas disputationem fori appellabant.

42. Hæ interpretationes sibi invicem maxime contrariæ erant, vel æmulatione JCtorum, vel studio confundendi populum.

43. Interim consuetudine invaluit, ut ipsæ interpretationes pro authenticis haberentur. y)

44. Addebat aliud frenum populi, II. Legis actiones, z) seu formulæ, secundum quas negotia Civilia peragerentur.

45. Negotia sc. non contentiosæ solum, sed & voluntariæ jurisdictionis. Vid. l. 77. de R. J. ibique *Rævardus, Wissenbach. &c.*

46. Formulas istas stupenda diligentia congettavit Barnab. Brisson. in tract. de formulis, in primis lib. 5.

47. Hæ examissim ad syllabam usque observandæ erant, sub pena nullitatis, & amittendi juris.

48. At-

y) \* Inde communè nomine *Jus Civile* appellabantur, itemque *media Jurisprudentia*, quæ media esset inter leges XII. Tabb. & Constitutiones Imperatorias. Idque *Jus Civile* primum a P. Mucio Pont. Max. decem libris, a M. Bruto Septem, & M. Manilio tribus libris collectum, Q. Mutius Scaevola, Publ. F. P. Max. in libros 18. & in unum corpus redegit. l. 2. §. 39. b. t.

z) De quibus luculenter Jan. Vincent. *Gravina in Origin. Jur. Civil. Lib. 1. cap. 33.* (t) add. Stengeri Disp. de cure formulario Rom. Lips. 1709.

48. Atque initio a Pontificibus (†) petebantur, una cum diebus, quibus lege agere liceret.

49. Collegium istud *Pontificum*, a Numa Rege institutum, ex solis patriciis constabat ante legem Ogulniam. (††)

50. Præter eos tunc Jurisperitus nullus; abditæ in eorum penetralibus legis actiones & ratio dierum, quibus lege agi poterat. *Liv. lib. 9. cap. 46. Dionys. I. X.*

51. Postea ab Appio Claudio Cœco Centumano in librum redactus scriba ejus, Cneius Flavius, evulgabat, unde Jus Flavianum vocabatur. *Cic. ad Attic. L. 6. ep. 1.*

52. Nam, teste Plinio, Appius hortatus erat Flavium, ut actiones exciperet & edisceret.

53. Et credunt quidem, dignitatem Ædilitiam Flavio in praemium divulgationis cessisse, *I. 2. §. 7. de O. F.* sed falso; nam tempore divulgationis ille Ædilis jam erat. *Thomas. in Næv. L. 1. c. 5. p. 19. Conf. Cujac. de O. F. ad. b. I.*

54. Hoc jus Flavianum a Sexto Ælio aliis actionum formulis, *in tripartitis suis*, adattum, & Jus Civile Ælianum vocatum fuit.

55. Sed

(†) *Rævard. ad LL. XII. Tabb. c. 7.* sed negat *Schubart. de fat. Jurisprud. Rom. Exercit. II. §. 59. p. 297.*

(††) Lata est a Q. & Cn. Ogulniis Tribunis plebis a. u. c. 453. Q. Apulejo Parisa & M. Valerio Corvo CoS. fvasit legem P. Decius, dissvasit Appius Claudius. *Pigb. Annal. Rom. Lib. V. Tom. I. p. 384.*

55. Sed has formulas false ridebat Cicero in Orat. pro Murena cap. XI. & de Orat. l. i. p. m. 94. v. Thomas. Nœv. L. i. c. 5. N. 10. Et Huber. digress. l. i. c. 4.

56. Postea plane sub Theodosio abrogatae sunt, per l. i. C. de formul. & impetrat. sublatis.

57. Hinc simul coruebat differentia actionum b. f. & stricti juris, directarum & utilium, ut patet ex l. 47. de Neg. Gest.

58. Nihilominus ignorantia Compilatorum sub Justiniano totum Corpus Juris otiosis hincē doctrinis inquinavit.

59. Accedebant III. leges novae a) in comitiis populi in campo Martio, interrogante Consule b) latæ, de quarum ritu vid. Hub. digress. P. 1. C. 15. n. 2. Lib. 4. c. 30. & P. 2. L. 1. c. 10. c)

60. Tales erant Lex Rhodia, Scribonia, Papia Poppæa, & Leges in libr. 48. Pandectarum per totos

a) Compara Jani Vincent. Gravinae Origines Jur. Civil. L. I. cap. 26. - 30. & cap. 34.

b) Aliquando etiam Prætore, Dictatore, Interrege, Paul. Manut. de LL. p. 310.

c) Nimirum leges 1) domi scriptæ, 2) communicatae cum Senatu, 3) in publico per trinundinium propositæ, 4) in comitiis recitatae, accidente plerumque sua fione, vel dis fussione, 5) auspicia & sortitio facta, 6) secuta rogatio hac formula: Vellitis, jubeatis, Quirites, hoc ita, uti di xi, ita vos, Quirites, rogo. Additum: Si vobis videtur, discedite Quirites. 7) Suffragia per tabellas lata, 8) suffragiorum diremto facta; tum lex vel antiquata, vel sci ta, aut perlata dicebatur, 9) inde lex perlata jure jurando confirmata, & quie incisa delata in ararium.

totos titulos expositae , aliæque fere infinitæ , de quibus *Ant. Augustinus de legibus & SCtis* , *Franc. Hotomannus de legibus Populi Romani* , *Paulus Manutius de legibus* , & *Paul. Merula de Legibus Roman.*

61. IV. Plebiscita vero a sola plebe in Comitiis tributis ( ad quæ patricii non vocabantur ) interrogante Tribuno lata.

62. Haec vetustiora sunt Legibus XII. Tabb. orta in prima secessione , d) anno fere 17. post Reges excisos , & a.u.c. 260. quam Crustumérinam *Varro* appellat , *L. 4. de Lingua Lat.* Mons enim , postea sacer appellatus , erat tunc prope Crustumerium oppidum Romæ vicinum . Neque tamen plebiscita tunc rata erant apud patres , neque legis nomen obtinebant.

63. Postea anno 304. per legem Horatiā e) non solum plebem , sed & patricios , verbo : populum , obligabant.

64. Cum enim Decemvirorum tyrannis & libido humanum fere modum superaret , secessio plebis in montem Aventinum imperium iis extorquebat.

65. Quam duo potissimum excitabant : insi-  
B diosa

d) Tunc duo Tribuni plebis creati , qui tres sibi Collegas asciverunt , & lex sacrata lata . *Liv. L. 3.* Postea a.u. c. 295. decem Tribuni plebis , bini nempe ex singulis classibus creati . *Dionys. Lib. 10. Liv. L. 3.*

e) \* Quæ per Legem Publiliam a Dictatore Q. Publilio latam a.u. c. 414. fuit confirmata . *Liv. VIII. 12.*

diosâ Sicciæ cædes, & denegata justitia in causa liberali Virginiae, quam C. Claudius tanquam servam pro App. Claudio Decemvirorum principe ad stuprum deposcebat.

66. Cum enim pater & sponsus jura divina & humana frustra implorassent, ille filiam incontaminatam adhuc, sed statim abducendam, interfecit, uterque ad libertatem proclamans. *Vid. Dion. Halicarn. Lib. XI. & Liv. L. 3. c. 43. seqq. Rittershus. Dodecadelt. Class. 3. P. 3. c. 10. p.m. 194. seqq.*

67. Hinc Q. Horatio Consule regimen Decemvirale abrogatum, cautumque, ut, quod tributim plebs jussisset, populum teneret, *Liv. L. 3. c. 55.*

68. At denuo cavillatio patrum, populi nomine se comprehendendi negantium, & nimio fœnore alieni æris plebem prementium, occasionem dedit novæ secessioni in Montem Janiculum, a.u.c. 466.

69. Quæ lege Hortensia, Hortensio Dictatore lata, sopita, eaque, ut plebiscita omnes Quirites, adeoque patres etiam tenerent, diserte sancitum. *Liv. Epit. L. XI.*

70. Inde Plebiscita nomen legum obtinebant, v.g. Lex Aquilia, Falcidia, Voconia, ad quas *Baldinus*: lex Cincia, ad quam *Brummrus* Commentarios scripsere.

71. V. Edicta Prætorium, quibus Jus Civile non modo explicari, sed & corrigi poterat. *I. 7. §. 1. de J. & J.*

72. Ve-

72. Verum correctio ista astu (†) patriciorum (ex quibus Prætores initio creabantur,) elicita latere plebem debebat.

73. Quod dupli modo fiebat: 1) diversis nominibus uni rei impositis, v. g. bonorum possessionis & hereditatis, quarum definitio-nes non nisi inani verborum sono differunt; item hypothecæ. Vid. infr. *Lib. 20. ff. tit. 1. in princ.*

74. 2) Fictionibus; ita v. g. in Publiciana res fingebar usucapta, quæ usucapta non erat; in rescissoria tempus usucaptionis fingebar nondum elapsum, quod tamen elapsum f) e-  
rat. Add. *Struv. Exercit. 28. th. 20.*

75. Ita obligatio, pacto de non petendo ex-tincta, ipso quidem jure subsistere & actionem producere fingebar, effectum tamen nullum sortiebatur propter obstantem Exceptionem perpetuam.

76. Has nugas rejicit jam ipse Paulus, alias subtilissimus, in *l. 112. ff. de R. F.* & totam fictionum materiam hodie inutilem esse, con-  
stat, quia legum mutatio non amplius a po-  
pulo impugnatur.

77. De Prætoribus multa habet *Stryck. tract.*  
B 2 de

(†) Sed vide *Gottl. Corpii Vindicias Prætoris Rom. & ju-  
ris honorarii Lips. 1730.* in quibus Prætores contra has obiectiones defendit.

f) Ita in testamento inofficiose testator fingebar non sanæ mentis fuisse, licet omnigeno rationis usu ga-  
deret.

*de success. ab intest. diff. 9. pr. Conf. Thomas. de Næv. Jurispr. L. i. c. 7.*

78. Nempe primus Praetor ex patribus creabatur Sp. Furius Camillus, a. u. c. 389. cum Plebi contra concederetur Consul plebejus, *Liv. L. 6. c. ult. & L. 7. c. 1.*

79. Et videntur haec quidem e re plebis fuisse, sed maxime tamen erant e re Patriciorum, cum quotidianum de fortunis civium arbitrium penes Praetorem, adeoque patricios esset.

80. Imo plebi magis perniciosum erat hoc institutum, quod occultis mutationibus jus magis incertum, & edictis specialibus persecutio ejus magis difficilis & periculosa redideretur.

81. Inde Praetor ex plebe Q. Publilius Philo(†) *Liv. L. 8. c. 15.* Vid. *Thomas. in Næv. L. i. c. 7.*

82. Hinc numerus & potestas Praetorum in dies aucta, g) *Thomas. d. l.* eorumque Editis

(†) a. u. c. 417. *Pigbius Annal. Rom. Lib. V. Tom. I.*  
p. 324.

g) Nam & Praetor peregrinus fuit constitutus, qui peregrinis ius diceret, *I. 2. §. 28. de O. J.* (†) de quo vide *Couradi in Parerg. lib. I. c. 1. add. J. H. Mylii Disp. de Praetore peregrino. Lips. 1732.* & capta Sicilia, Sardiniaque quatuor facti sunt, qui inter se provincias sortirentur, Praetores. *Liv. 32. c. 27. & 28. vid. Sigon. de Judic. II. c. 4. Jul. Cæsar decem praetores fecit, post quatuordecim, demum sedecim.* Hic praetorum numerus & sub Augusto fuit. Sequentibus temporibus nonnunquam XVI, nonnunquam uno, aut duobus plures paucioresve fuere. *Dio Cass. lib. 56. & 58.* Et additi Praetores fideicommissarii duo ab Imp. Claudio: Praetor

Etis vis legibus tributa, *J. 7. Inst. de J. N.G.*  
*& Civ.*

83. Ea duplia potissimum erant: Generalia, quae etiam perpetua vocabantur, & specialia.

84. Illa initio suscepti magistratus tabulæ, quæ album vocabantur, inscripta publice suspendebantur, ostendentia, quid Prætor perpetuo, i. e. per integrum annum jurisdictionis suæ in omnibus ejusmodi casibus pronuntiare velit.

85. Hæc pro re nata ad casum singularem forte obvenientem dabantur, nec ad casus similes extendebantur, quippe publice non promulgata.

86. Hinc fomes iniquarum sententiarum, & fundamentum *tituli ff. quod quisque juris in alium &c.*

87. Sed anno U. C. 686. Pisone & Glabrio-ne *Coff. C. Cornelius Trib. pl.* sancivit, ut Prætores non nisi ex edictis perpetuis jus dicerent, *Dionys. Lib. 26. (†)*

88. Finita vero annua Prætoris potestate, edicta ejus, etiam perpetua, expirabant, & successor nova edicta proponebat, cum prioribus quandoque convenientia, in multis etiam discrepancia.

B 3

89. Ea

*fiscalis* a Nerva: *Tutelaris* Prætor a M. Antonino Philosopho. *vid. l. 2. §. 17. 18. & 32. de O. J.*

(†) Qaa de re jam a. u. c. § 85. factum erat SCtum L. Aemilio Paulo & C. Licinio Crasso Coff. quod extat apud *Pigb. Annal. Rom. Lib. XI. Tom. II. p. 378.*

89. Ea omnia denique C. Aulus Ofilius colligebat, & sub Hadriano, anno imperii ejus 1510, tandem Salvius Julianus in ordinem centrum librorum digerebat, sub *edicti perpetui* nomine publicata.

90. Inde evenit, ut XII. Tabularum & aliae civiles leges ex observantia & memoria exciderent, J. C. tis maximi nominis certatim commentarios ad Edictum scribentibus.

91. Optime hoc instituto consultum fuisset Jurisprudentiae Romanæ, si modo Julianus maiorem rei huic curam attulisset, nec multas contradictiones inferuisset.

92. Et melius consuleretur studiis nostris, si hoc edictum perpetuum, ad cuius ordinem sarcinas pandectarum suarum consutas esse toties afferit Tribonianus, integrum habemus. h)

93. Componebant etiam Proconsules & Praesides in provinciis edicta, quæ provincalia appellabantur, ad differentiam urbitorum.

94. Ita Cicero L. 6. Epist. 1. ad. Attic. edictorum provincialium tam a se, quam a Bibulo latorum, item Q. Mutili edicti Asiatici meminit.

95. Indeque est, quod Caius (qui ad edictum

h) Id, qua diligentia potuit, restituit *Guil. Ranbinus, Par. 1597. 8vo.* Seriem vero Librorum eruit *Jacobus Gobthofredus in fontibus quatuor Juris Civilis, Genev. 1653. 4.* (†) Historiam scripsit *Hamberger in Disp. de Edicto perpetuo. Jen. 1714.*

etum provinciale i) Commentarios scripsit) in edictorum interpretatione toties Proconsulum mentionem faciat. Vid. *Brisson. de V. S. L. 5. voc. edictum. k)*

96. Reducta sub Cæsare, & stabilita sub Augusto Monarchia, comitia e campo (i. e. a populo, qui in campo Martio convenerat) translatam fuerunt ad Curiam seu Senatum.

97. Factum id esse sub Tiberio, afferunt ple-  
rique, & confirmat *Tacitus L. i. annal. c. 15.*

98. Causam impulsivam enarrat ex *Pompo-  
nio l. 2. §. 9. de O. J. Tribonianus §. 5. Inst.  
de J. N. G. & C. auctum nimis populum dif-  
ficile fuisse in unum convocari.*

99. Verior forte erat astus dominationis, quia  
novi Cæsares in legibus condendis facilius Se-  
natum, quam populum in partes suas pellice-  
re poterant.

100. SCta præcedebat oratio Principis , no-  
B 4 vam

i) \* Exemplo Edicti Perpetui *Edictum provinciale* con-  
cinnatum est, quod inde parum diserepasse videtur ab  
Edicto perpetuo Prætoris, ut ex ipsis Caji Commen-  
tariis licet colligere. (†) vid. *Dodwell. in præfect. Cam-  
den. VIII. §. 11. p. 335.*

k) \* Sed & *Ædiles Curules* de rebus ad jurisdictionem  
suam spectantibus, puta, de annonæ & viis publicis,  
ludorum institutione, rebus venalibus promercalibus-  
que Edicta proposuerunt. *Plaut. Captiv. A. IV. Sc. 2.  
v. 44. Gell. Noct. Att. IV. c. 2. Tit. ff. de Ædilit. Edict.*  
(†) iis vero ab Hadriano edictum perpetuum etiam  
conditum esse, conjicit *Dodwell. in Præfect. Camden.  
IX. §. 7. p. 349.* quod probat *Everard. Otto de Aedil.  
Colon. & municip. c. 13. §. 3. p. 455.*

vam legem suadens, unde nonnunquam oratione *Principis* cautum dicitur, quod SCto covebatur. *I. pen. ad Sctum Tertull.* Vid. *Brifson. Antiquitat. L. 1. c. 16.*

101. Ejusmodi orationes duas, nempe Marci de transactione super alimentis, & Carallae de donat. inter Vir. & Ux. dedit *Scipio Gentilis Hanov. 1604.* Ipsa SCta collegit *Anton. Augustinus Romæ 1583. in 4to.*

102. Ante Imperatores erant quidem SCta, sed quibus nihil decernebatur, nisi de populo convocando & novis rogationibus ei proponendis.

103. Nempe ( plebs quidem ad plebiscita, sed ) populus ad leges ferendas non poterat convenire, nisi a Senatu convocatus, quale Jus convocandi vocatur auctoritas.

104. His notatis intelligi poterunt, quæ habet *Liv. L. 1. c. 17. ibique Sigan. & Gronov. in not. varior. p. m. 38.*

105. Nec obstant *L. 9. de LL. §. 5. Inst. de J. N. G. & C. L. 2. §. 9. de O. J.* item paraphrastes *Theophilus p. m. 21. putans, Hortensium Senatui & plebi persuasisse, ut alter alterius juribus se submitteret, & Senatus æque ac plebs novas leges sanciret, semper tamen ab altera parte ratihabendas.*

106. Nam *L. 9. intelligi de statu Monarchico & Ulpiani temporibus potest, §. 5. transcriptus est ex L. 2. quæ centum erroribus scatet. Ignosci potest Græco Principi & Græculo*

culo jurisperito in dijudicatione Reip. Rom. errare.

107. Idemque in Theophilo, alibi etiam erroribus non vacuo. Vid. jejune recitamat occasionem SCti Macedoniani (†) in *ſ. 7. quod cum eo & c. p. m. 915.* & alia passim. v. g. quod, Pompilium Rufum servum fuisse, (††) putet tit. de eo, cui libert. cauf. bon. addic.

108. De modo habendi SCta multa ex epistola M. Varronis refert *Gellius N. A. L. 14. c. 7.* lectu dignissima, eique argumento luculenter inhæret *Jan. Vincent. Gravina in Origin. Jur. Civil. Lib. 1. cap. 14. - 25.*

109. Videamus exinde saltem divisionem: Senatus consulta facta fuisse, ait, vel per discessiōnem, si consentitur; vel per singulorum sententias exquisitas. *Conf. Gell. L. 3. c. 18.*

110. Huic divisioni contrariam notat Gellius L. XIV. c. 7. sententiam *Tuberonis & Atteji Capitonis L. 259. Conjectaneorum:* nullum SCtum fieri posse absque discessione.

III Nihilominus veritatem divisionis stabililiunt fragmenta Legis Regiae, Vespasiano decretae, ab *Hubero in digress. P. 1. L. 1. C. 31. p. 87.* exhibita.

## B 5

## 112. Con-

(†) Sed aliis secus videtur. vide *Guil. Maranum in Paratitl. ad D. tit. de SCto Macedon. & G. L. Mencken. Disp. de usu forensi SCti Macedon. in Germania Vit. 1715.*

(††) Neque in hoc errasse Theophilum probat *Heineccius Syntagm. Antiqu. Jur. Rom. b. t. §. 2.*

112. Conciliationem tentat *Försterus Histor.*  
*Jur. Rom. L. 2. c. 38. n. 57. seqq. in primis n. 67.*  
*p. m. 428. sed paululum obscure.*

113. Scil. in omnibus SCtis siebat discessio :  
 verum non omnes semper in Senatu discedebant, sed juniores regulariter, qui vel nondum Senatores, in Senatum tamen veniebant; vel Senatores quidem, sed nondum honoribus majoribus admoti.

114. Ubi vero omnes discedebant, ibi de-  
 dum per discessionem factum SCtum diceba-  
 tur.

115. In hoc formula praeconis erat: *Qui hoc  
 censetis, illuc transite, qui alia omnia, in hanc  
 partem; Vel: in illam partem, quo sentitis.*

116. Idque est, quod dicunt: pedibus in a-  
 licujus sententiam ire, vel in alia, omnia tran-  
 sire. Quae latius ex *Plin. l. 8. Ep. 14.* aliisque  
 deducit *Briffon. de form. l. 2. p. m. 183. seq.*

117. At in SCto per relationem non verbis  
 precariis, ut in lege & plebiscito: **VELITIS  
 JUBEATIS**, sed imperativis: *dic, SP. Post-  
 bumi, qui censes?* *Liv. l. 9. c. 8.*

118. Cumque adeo SCta legum vicem obi-  
 rent ex astutia Imperatorum, dominatum dis-  
 simulantium, sponte fluit, ea non ulterius  
 durasse, quam donec ista dissimulatione opus  
 non amplius erat.

119. Contigisse id post Marci Imperium pu-  
 tamus, quia post eum nulla SCta condita le-  
 gimus.

120. Ac-

120. Accedit, quod jam sub Hadriano, Marci in Imperio antecessore, Constitutionum incunabula reperiamus.

121. Quamvis enim anteriores etiam Constitutiones Principum a nonnullis allegentur; id tamen de SCtis exaudiendum esse, probabile est. Conf. Thomas. Næv. Jurispr. L. 2. c. 4.

122. Et Constitutionibus quidem statim ab Augusto vis legum tributa erat per legem Regiam.

123. Quam pro figmento habendam non esse, contra Martinum Schookium 1) erudite ostendit Huberus digress. P. 1. L. 1. c. 16. -- 35. &  
Sehubart. Ex. III. de fatis Jurispr. §. 35. ff.

124. Conscripterat nempe Schookius tractatum de lege Regia Triboniani, eumque repetitis curis auctum edebat de quadruplici Lege Regia, Francof. 1668. in 12mo.

125. Sistit ibi legem Regiam Christi Jac. 2. v. 8. Legem Regiam Israëliticam 1. Sam. 8. L. R. fictam, ut putat, Romanam, & L. R. ho- diernarum Rerump. seu Capitulationes & LL. fundamentales.

126. Quantum ad L. R. Romanam, præsupposita Schookii ab Hubero refutata potissimum duo sunt:

127. 1) Augustum & sequentes abominatos nomen Regis & Domini; quomodo ergo Legem

1) Facit cum Schookio Connan. L. 1. Comm. c. 16. n. 3.  
Vult. ad §. 6. Inst. de J. N. G. & C. n. 5.

gem ita dictam acceptassent, & quomodo eam populus, cui adeo exosum erat Regis nomen, sanxisset?

128. Resp. Vocata ab initio fuit *lex imperii*; Regiae nomen sub Antoniniis nanciscebatur. Augustus eam non abrogabat, sed ea saltem non utebatur. *Huber. c. 5.*

129. 2) Populum, imperfecto ob Monarchiae ambitionem Cæsare, intestinis seditionibus fessum tolerasse magis Monarchiam præsentem, quam in perpetuam consensisse.

130. Resp. Neque lex ista erat perpetua, sed *ad vitam cujusque Imperatoris restricta*; post mortem ejus pro lubitū renovanda, vel abroganda. De quibus prolixius *Huberus d.l.*

131. Postrema insignis confusio juris Romani caput exerebat sub Theodosio Juniore, vi legis voluminibus JCtorum antiquorum superaddita.

132. Quamvis enim antecedentes Imperatores statim ab Augusto JCtis per modum beneficii concederent facultatem de Jure respondendi, utque ab ipsis responsis judici recedere non licet; Ea tamen obligatio ultra casum præsentem, de quo quærebatur, non extendebatur. m) *I. 2. §. 47. b. t. §. 8. J. de J. N. G. & C.*

133. Theo-

m) \* Producit ista de jure respondendi facultas, per beneficium indulta, seitas Jureconsultorum. Hinc sub Augusto Imp. Atejus Capito auctor scholæ Sabinianæ, Antistius Labeo, auctor scholæ Proculejanæ. Ille Principi

133. Theodosius vero in *L. i. C. Theodos. de Respons. Prudent.* fanciebat, ut J<sup>c</sup>torum, ante multa tempora mortuorum, Papiniani, Pauli, Caji, Ulpiani, Modestini, & eorum, qui ab his allegantur, responsa vim legis perpetuae haberent.

134. Et sicubi diversæ ipsorum sint sententiæ, non ratio melior vincat, sed numerus auctorum.

135. Si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat auctoritas, cui Papinianus assistit, qui ut singulos vincit, ita cedit duobus.

136. Si neutri jungatur Papinianus, inter opiniones æquales vincat ea, quam judex eliget.

137. Ita eveniebat, ut in locum judicij succederet opinio; & fundamentalis doctrinæ vicem suppleret turpis labor conquireendarum opinionum, & cavillatio verborum, quibus diversa sepe opinio affingebatur.

138. Licet autem hanc Constitutionem abrogaverit Justinianus in *L. i. s. Sed neque. C. de vet. jur. encl.* videtur tamen ei non multum absi-

placere, hic pristinam servare libertatem cupiebat. Capitoni successit *Masurius Sabinus*; huic *C. Cassius Longinus*, & postea *Cælius Sabinus*. Inde *Sabiniani & Cassiani*. Labeoni successit *Nerva* pater, huic *Proculus*, & huic iterum *Pegasus*. Inde *Procalianii & Pegasi*. vid. *Christ. Otto u. Bækelen*, de diversis familiis veterum J<sup>c</sup>torum. *Lugd. Bat. 1678. 12. (†) & Gottfried. Masco-vium de Sectis Sabinianorum & Proculianorum, Lips. 1728.*

absimilis abusus communes opiniones ex glos-  
fatoribus barbaris conquirendi.

139. Hinc tot specula opinionum communi-  
num contra communes, totque observationes,  
ut opinionibus istis tanquam puræ putæ veri-  
tati credamus, sub comminatione ignis æterni,  
si. falsæ sententiæ, tanquam diabolo adhærea-  
mus. Vid. *Wissenb. ad L. Jul. Maj. tb. 13.*  
*Schulz. Synops. Inst. p. m. 399.*

140. Interim mole sua male cohærente ma-  
gis magisque laborare jam pridem cœperat  
Jurisprudentia.

141. Unde *Cicero* primus consilium ferebat  
componendi systematis juris, plane diversi &  
melioris forte, quam nunc habemus, *L. i. de*  
*Orat.* qua de re peculiaris ejus liber citatur a  
*Gellio Lib. i. c. 22.* quem librum promiserat *Ci-*  
*cero Lib. i. orat. c. 42. p. m. 90.*

142. Sequi hoc volebat *C. Jul. Cæsar*; &  
utinam optimum hoc institutum injustissima  
ejus cædes (*Henning. in not. ad Beckeri Jus*  
*publ. L. i. c. i. p. m. 10. & seqq.*) non interturbaf-  
set. Vid. *Huber. Auspic. domest. Orat. 5. p.*  
*177. seqq.*

143. Ita enim *Sueton. in Cæf. cap. 44.* destina-  
bat *Jus Civile* ad certum modum redigere, at-  
que ex immensa diffusaque legum copia optima  
quæque & necessaria in paucissimos conferre  
libros.

144. Perfecissetque hoc procul dubio melius,

ac

ac Justinianus ignorantia literarum & seculo  
ad barbariem inclinante pressus.

145. Antea etiam Pompejus M. idem molie-  
batur, sed desistebat, obtrectatorum metu, *carr.*  
*ult. dist. 7. ex Isidor. Orig. V. 1.*

146. Servius Sulpitius quoque & Constan-  
tinus Imperator, referente *Eusebio lib. 7.* nec  
non Cornel. Sylla, referente *Plutarcho in ejus  
vita*, hoc absque affectu suscepisse leguntur.

147. Edicta tamen Praetorum sub Hadriano  
in unum volumen, & subsecutis temporibus  
Constitutiones Principum in tres Codices coa-  
luerunt: Duo priores a *Gregorio n.* & Her-  
mogene, vel, ut aliis placet, *Hermogeniano, o.*

JCtis

n) De hoc ita *Pancirol. de Clär. LL. Interpretibus*, L. i. c.  
66. fuit Gregorius aliquis Praef. sub Constantino, anno  
salutis 337. l. 3. C. Tb. de annon. & tribut. l. 1. C. de na-  
tural. lib. ejusque Justinianus meminit Nov. 89. §. ult. Sed  
hunc Jura fuisse professum, non constat. Ad Gregori-  
um quoque est Diocletiani rescriptum l. 1. C. si contra  
jus vel util. publ. qui hic idein esse potuit, & tum aliquem  
gessisse magistratum. Alius fuit Gregorius sub Valen-  
te & Gratiano V. C. Praefectus Annonæ, l. 15. C. Theod. de  
pissor. idemque Africæ Proconsul, is Codicis Gregoriani  
compilator fuisse creditur, in quem constitutiones usque  
ad Valentianum collegit, quod alter longe anterior  
Gregorius facere non potuit; unde hunc inter JCtos  
& forte Juris Professores referendum puto. Haec tenus  
*Pancirolus*. Cujus conjecturam hoc in primis dubium  
premit, quod Codex Gregorianus constitutiones Impp.  
Christianorum complexus non videatur. Cæterum ex  
mente Panciroli Codex Hermogenianus longe prior es-  
set Gregoriano.

o) De hoc itidem *Pancirol. de clar. ll. interpr. L. i. c. 65.*

JCtis confecti, privatane an publica auctoritate, incertum est.

148. Neque magis constat, quinam (*dixi ad posit. præced.*) fuerint isti auctores, præser-tim Gregorius; nisi quod conjecturas suppe-dit *Jac. Gotbofred. in prolegom. ad Cod. Theod. fol. 183. seq.* Putant vero communiter, a Gregorio collectas fuisse Constitutiones Hadriani & seqq. usque ad Valerianum & Galli-enum Anno Christi 268.

149. Inde secutam collectionem Hermoge-nianam, continentem Constitutiones Claudi, Aureliani, Probi, Cari, Carini, Diocletiani & Maximiani, ad initium seculi IV.

150. Verum refellit hunc errorem *Jac. Go-thofr. in prefat. ad Cod. Theod. d.l. evincens*, utrumque Auctorem eodem fere tempore vi-xisse sub Constantino M. ejusque filiis.

151. Cumque fuissent JCti gentiles, voluif-  
se

plerique Hermogenem scribendum putant. *Cujac. L. 2. Obs. cap. 27.* quoniam apud Lamprid. in Alex. Severi con-silio fuisse legerunt; Hermogeniani nomen nunquam audierunt. Sed ego hunc Eugenium Hermogenianum esse puto, qui sub Diocletiano & Maximiano Præf. Præt. fuit, & in Senatu de persecutione in Christianos decer-nenda, retulit, vid. *Baron. in Annal. ad ann. Dom. 301.* Hunc credendum est auctorem fuisse Codicis Hermo-geniani. Haec tenus Pancirolus. Et ita Codex Her-mogenianus, vel Codex Hermogeniani; non Codex Her-mogenianus vocandus foret. *Bertrandus in vitijs Ictorum* hunc Hermogenianum inter Christianos re-fert, cui contradicit *Menogius in Amœnitatibus Juris cap. XI.*

se posteritati sistere veram faciem veteris Jurisprudentiae gentilitiae, quae tunc quotidie mutabatur.

152. Quia conjectura inductus puto, hos Codices publicam auctoritatem non adeo obtinuisse. p)

153. Accedit, quod fragmenta Codicis Gregoriani, *Basil. 1528. cura Job. Sichardi* cum multis aliis impressa, quatuor q) leges Diocletiani & Maximiani contineant.

154. Harum duæ priores sunt *L. 4. & 5. C. de R. V. tertia L. 2. si sub alter. nomine res emta.* & quarta *L. un. quib. res judic. non noceat.* quæ Diocletiano tertium & Maximiano Coss. est subscripta.

155. Horum vero Codicum non nisi fragmenta supersunt: Gregoriani quidem ex dicta editione r) leges in universum viginti duæ, titulis *tredecim* ex totidem libris excerptis

C com-

p) \* Attamen publice receptos & lectos, imo & auctoritatibus suis confirmatos fuisse, testatur Interpres Codicis Theodos. *ad l. un. de respons. prudent.*

q) In noviori editione Codicis Theodosiani a Tilio, Pittheo &c. adornata & *Lugd. 1593. 4to* publicata, in Codice Gregoriano *decem* leges Diocletiani & Maximiani reperiuntur.

r) Novior editio jam dicta, quæ *Lugd. 1593. 4to* prodiit, utrobique plures continet leges, vid. *nostram Autor. Juridicorum notitiam, Spec. II. n. XI. & XII.* \* Nunc utriusque codicis fragmenta cum doctissimis Anton. Schultingii notis habemus in ejus *Jurisprud. vet. Antejustin. p. 683. ff.*

comprehensæ; Hermogeniani vero leges *duæ*, sub totidem titulis.

156. Codex Theodosianus jussu Imp. Theodosii Junioris ab octo viris concinnatus continet Constitutiones Imperatorum Christianorum a Constantino M. ad Theodosium.

157. Unde alias inscribitur: Novæ leges legitimorum principum.

158. Hunc Codicem post varias editiones s)  
integrum & luculento Commentario illustratum edidit *Jac. Gothofr. Lugd. 1665. in sex tomos* divisum. t)

159. Reliquæ leges Imperatorum post Codicem Theodosianum evulgatum sanctæ, nempe ipsius Theodosii, Valentiniani III. Marcianni, Maiorani Severi, exhibentur sub nomine Novellarum a *Job. Sichardo* una cum Cod. Gregoriano supra memorato.

160. Sed plenius postea sistuntur a *Pithæo*, adiectis Novellis Imperatorum reliquorum, ad usque Justinianum; vid. *Gothofr. Man. p. 65.* & denique a *Jac. Gothofredo in nova Codicis Theodosiani editione.*

## MEMBR.

s) \* Prima fuit *Jo. Sichardi*, Basil. 1528. f. Secunda *Jo. Tili*, Parif. 1594. 8. quibus præstat editio *Jac. Cujacii* Lugd. 1566. f. Parif. 1586. f.

t) In quo quid præstitum sit, summatim dixi in *Notit. Autor. Jurid. Spec. II. n. XIII.*

## MEMBR. II.

## DE JURE JUSTINIANEO.

161. Hucusque pervenerat immensa quidem, sed lacera & male cohærens disciplina juris; & manus medicas eo magis optabat, quo magis ad barbariem secula inclinabant.

162. Sed incidit in Medicum, morbo non multo meliorem, & multiplicantem magis, quam contrahentem.

163. Erat is Flavius Justinianus, u) ex tenui prosapia oriundus, adeoque rudis & literarum expers.

164. Quantum ad prosapiam; natus fuit ex Sorore Justini primi, qui teste *Zonara L. 3. Annal.* primo bubulcus, dein miles, inde ob corporis firmitatem & animi sagacitatem dux; tandem corruptis largitione militibus Imperator factus.

165. Justinianus itidem patria obscura natus parentem armémentarium habuit, cui vivendi generi & ipse addicetus, usque dum militiam sequeretur, tandem ad officia civilia protrusus, ab Avunculo adoptatus, & in consortium regni receptus.

C 2

166. Pa-

u) Vid. Arnolds Reyer-Histor. P. I. L. 6. c. 1. §. 8 -- 15.  
Genealogiam ejus, & Conjugis, Theodoræ, xri incisam exhibui in notit. Autor. Jurid. Specim. II. n. XIV.  
p. 44. seqq. (†) add. Jo. Petr. de Ludewig vita Justini  
iani M. Hal. 1731.

166. Patet hinc, verosimilius esse, quod *Lau-*  
*rentius Valla Lib. 6. elegant. cap. 36. Cuspinian.*  
*in vita Justiniani, aliquae a Mæstertio allega-*  
*ti ex Suida afferunt: x) Justinianum studio-*  
*rum expertem fuisse. Sed vid. Arnolds Re-*  
*her-Histor. P. 1. L. 6. c. 1. §. 14.*

167. Frigide enim plane hæc refutantur a  
*Mæstertio Lib. 1. de Justit. Roman. Leg. du-*  
*bit. 2.*

168. Paulo meliora sunt, quæ afferunt *Hæ-*  
*non. Diff. 1. ad Institut. tb. 1. Ungep. Exercit.*  
*Justin. 1. Q. 6. & Th. Riuus in defensione Ju-*  
*stiniani contra Alemannum, testimonio *Plati-**

*næ, Procopii, Fornandis & Antonii Sabellici*  
*suffulti. (†)*

169. Nam, ut verum fatear, omnia ista testi-  
 monia primam videntur originem Clericis de-  
 bere, quibus Imp. noster plus justo obsecun-  
 davit.

170. Accedebat uxor in ipsum imperium,  
 quod tum temporis in proverbium abierat, y)  
 ejusque simplicitatem non obscure arguebat.

171. Ma-

x) \* Sed mordax est Suidæ locus, voce: *αμάρτητος &*  
*προ Ἰουστίνως legendum Ιουστίνος*, prout in notis docu-  
*it Küsterus.*

(†) Alia omnia etiam apparent ex literis Theodahati &  
 Vitigis, qui ejus doctrinam & sapientiam sèpius lau-  
 dant. vid. *Cassiodor. Var. Lib. X. Ep. 9. 22. &c. 52.*

y) \* Hinc Zonaras Ann. lib. XIV. scribit, Justiniano  
 principatum adepto, non unius, sed duorum potesta-  
 tem fuisse, cum uxor ejus non minus ipso, ac potius  
 plus potuerit. *Procopius Cæsariensis*, cuius de Rebus

171. Magis utrum confirmabat, quod operi huic Tribonianum præfecerit, cuius exiguam eruditionem & eximiam avaritiam non absque ratione plures notarunt. Conf. *Wesenb. de Composit. Juris. Arnolds Rezer-Histor. P. i. Lib. 6. c. i. §. 14.*

172. Emblemata & nævos ab eo admissos collegerunt *Wissenbach. Anton. Matthæi & Hotomiannus in Anti Triboniano.*

173. Ubi tamen separari velim casus, ubi Tribonianus se gessit ut Philosophum & Historicum, a casibus, ubi se gessit ut legislatorem.

174. Prioribus casibus merito vapulat; quibus etiam annumeranda puto dogmata jam-dudum abrogata, quorum utilitatem docere non potest.

175. V. g. differentiam actionis directæ, utilis, & in factum, actionum b. f. & stricti ju-

C 3

ris,

Justiniani libb. VIII, & *avéndora* ex edit. Nic. Alemani, Lugd. 1623. s. habemus, permultis argumentis hunc Theodoræ Aug. in Justinianum Imp. dominatum comprobat, qui & Theodoram mulierem scenicam & ambigua famæ fuisse, docet. Ad nutum uxoris varias leges publicasse Justinianum, testatur *Nov. VIII. c. 1. & l. 3. C. de quadr. præscr.* Avaritiam & arrogatiā Justiniani *Evangrius lib. IV. Hist. Eccl. c. 30. & Procopius* depingunt: hic tamen in convitiis nimius videatur. Defensores Justiniani præcipui: *Gabr. Trivorus, Thom. Rivius, & Jo. Eichelius.* it. *Jo. Chisletius, de juris utriusque Architectis.*

ris, actionis de in rem verso, & negotiorum gestorum &c. de quibus suis locis.

176. Sub huius directione anno 528. Idibus Februarii. *Codex Justinianus prior* exceptus a decem viris componi. Vid. *Const. Haec, quae in fin. de Nov. Cod. fac.* ubi Compilatores isti recensentur §. 1. dict. *Const.* Anno 529. VII. Idus April. publicatus est, & abolitis prioribus Codicibus singulari *Const.* confirmatus.

177. Verum hic ad secula nostra non pervenit, & perii forte statim promulgato Codice repetitae prælectionis.

178. Hinc septendecim viris compositio Pandectarum demandata 18. Calend. Jan. s. 15. Decembr. anno 530.

179. Quibus injunctum, ut nulla antinomia, nec tautologia relinquatur, & sententiæ rationibus ponderentur. Quorum neutrum sat satis observatum videtur.

180. Et circa antinomias quidem conciliandas infinita extant iuravii Dava Pacii, Bronchorsti, Giphanii, Struvii, Bergeri, Nicolai de Pafseribus, Grariani de Garzatoribus, Reinh. Bachovii, Helfr. Hunnii.

181. Geminationes seu tautologias evolvit Pardulph. Pratejus in *Jurispr. media. z.*

182. Quo-

2) \* Prodiit Lugduni 1561. g. libris IV. primo 160. geminationes totidem capitibus proponuntur: libro II. notantur omissiones: III. inversiones & truncationes: lib. IV. sententiæ non intellectæ, & in diversum tractæ,

182. Quousque rationum pondera in sententiis observata fuerint, docebit ipsa tractatio Pandectarum.

183. Triennio post, absolutum fuit opus Digestorum, & 17. Calend. Jan. seu 16. Decembr. 533. promulgatum.

184. Dividitur ab Auctore in septem partes enumeratas in l. 2. s. 1. in fin. seqq. C. de Vet. Jur. Encl.

185. A Glossatoribus antiquis, qui Juris Utriusque Monarchæ passim in frontispiciis tractatum suorum audiunt, in tres partes : *Vetus*, a) *Infortiatum*, & *Novum*.

186. Illud finitur cum tit. 2. lib. 24. istud cum lib. 38. Hoc ad finem procurrit.

187. Quantum ad editionem, dividuntur Digesta in vulgata, Norica & Florentina.

188. *Vulgata* sunt, quæ semper in manibus omnibus omnium fuerunt, b) maxime mendosa & variantia.

C 4

189. No-

bservantur. (†) Extat in *Everard. Ottonis Thesauro Jur. Civil. Rom. Tom. III. p. 505.*

a) Atque secundum hanc divisionem professio Pandectarum in Academia Vitembergensi disperita, & superiori Digestum Vetus, inferiori Infortiatum & Novum assignatum est.

b) Omnia tamen tam typis formata, quam manu exarata ex prototypo Florentino, tanquam per traducem dimanatis ostendunt *Anton. Augustinus L. 1. emendat. Contius L. 1. Disp. c. 7. Lælius Taurellus in prefat. Pandect.* Tempore enim reperti exemplaris Florentini nulla alia vel in ipsa Italia Pandectarum exempla super-

189. *Norica prodierunt Noribergæ per Gregorium Haloandram Zwickaviensem, c.) Anno 1529. in 4to. 3. Voll.*

190. Idem simul edebat *Institutiones in octavo*, deinde *Codicem ann. 1530. Denique Novellas Græcas. 1531. cum versione sua*, utrumque volumen in folio.

191. Confecit vero hanc editionem non ex Archetypo Florentino, sed ex libris Bologni-*ni* (†), qui ex Politiani codicibus, ad Floren-*tinum* exemplar emendatis, provenerunt.

192. *Florentina* hodie inter vasa aurea & argentea Magni Ducis Hetruriæ visuntur.

193. Constant duobus voluminibus holose-*rico* rubro involutis, clausulisque argenteis ex-*ornatis*.

194. Scripta sunt literis majusculis capitali-*bus*, seu quadratis, absque interpunctione.

195. Un-

fuerunt. \* vid. *Henr. Brenemannii Historia Pandectarum*, lib. III. c. 2. & c. 4. quo editiones Pandectarum recenset.

‡) Eum Professorem Altdorfium nonnulli faciunt, sed absque ratione; cum eo tempore Altdorf ne Gymna-*sium* quidem conspicuum, multo minus Academia es-*set*; degebat vero Haloander Norimbergæ, publicis stipendiis, quandiu huic operæ incumbebat, sustenta-*tus*, ut ipse fatetur in *præfatione Digestorum*. Plura de hac editione & Auctore dixi in *notit. Auctior. Jurid. Specim. I. n. 5.* (†) Vitam ejus Fr. Car. Conradi de-*scriptit*, & Parerga Lib. I. præmisit.

(†) Vide, quæ ad hanc rem probandam illustrandamque collegit Fr. Otto Mencken. in *bistoria ritæ Angelii Politiani Sect. I. §. 15. not. d. p. 311.*

195. Unde, si forte ex mutatione commatum commodior sensus elici possit, illa prohibita non est. Exempla passim occurrent.

196. Hoc exemplar Angelus Politianus in *miscellan. & epist.* (cui assentit *Bologninus, & Budæus,*) non modo Justinianeæ ætate scriptum, sed & archetypum fuisse, putat. Vid. *Leem. de O. J. p. 73.*

197. Et quamvis dissentiant alii, d) certum tamen est, illud non multo post Justinianum scriptum; & reliquis, quæ quidem hactenus innotuerunt, omnibus præferendum esse.

198. Eo plus ergo gratiarum merentur manus Francisci Tautellii, quod Florentinam hanc editionem anno 1553. summa fide & accurate repraesentaverit.

199. Hunc secutus *Ludovicus Charondas, nitidissima editione Antwerp. 1575.* non Digesta modo, sed totum Corpus exhibens. e) *Leevv. p. 741. seqq.* ubi & reliquas editiones enumerat. Et tantum de Pandectis.

200. Interim & Institutiones, tanquam Elementa Jurisprudentiae d. XI. Calend. Decembr. f. 21. Novembr. anno 533. editæ, & simul cum Digestis confirmatæ.

C 5

201. Ubi

d) In primis Haloander, qui, contrarium plus, quam sexcentis locis meridiano sole clarius communistrari posse, putat *in præsat. ff.*

e) \* Et jam ante hunc *Ludov. Ruffardus*, cum notis perpetuis clariss. JCtorum & summaris Duarenii, Lugduni 1561. secuta editio Plantiniana 1567. & tertia 1570.

201. Ubi mirari subit, cur tantilli libelli laborem non uni, sed tribus viris Justinianus demandaverit.

202. Verum hoc non obstante partus iste infelici fidere prodiit, descriptus ex fragmentis Pandectarum, Codice priori, & in primis Caji commentariis.

203. Dividitur in quatuor libros, inepta dissectione, quippe particula Juris in re ad librum tertium, & particula Juris ad rem in librum quartum rejecta.

204. Nempe numerum quaternarium adhibitum putat *Accursius* ad similitudinem quatuor elementorum, sc. aquæ, terræ, ignis & aëris, quia sicut ex his omne corpus gubernatur humatum, ita ex hoc volumine Institutionum, per quatuor libros partito, seu diviso, juvenes sustentantur, i. e. adjuvantur, ut postea possint secure accedere ad libros legales, ex quo in ipsis *Instit.* primo studuerint.

205. Versionem, vel potius *paraphrasin* f) Græcam earum habemus beneficio Theophilii cuiusdam.

206. Hunc *Brissonius* Lib. 1. de V. S. voc. antecessor, & *Guido Panciroli*. de claris Legum Interpretibus, Lib. 1. c. 80. putant fuisse ipsum Theophilum, qui libris juris & ipsis Institutonibus

f) Paraphrasin Institutionum latinam edidit a. 1550. Claudio Cantiuncula Lugd. 8vo.

onibus compilandis manum admoverat; sed absque sufficiente ratione. (†)

207. Non enim e *Basilicis* tantum multa ad verbum transcripsit, sed & antiquitatem non-nunquam fabulis, ab Accursianis non adeo differentibus, obfuscatur. Exemplum g) supra habuimus in Senatus-Consultis in genere, atque in specie in Macedoniano.

208. Varias editiones sistit *Jac. Gothofr. Man.*  
p. 72. ubi & conjectura de auctore.

209. Versionem latinam adjecit *Jacobus Curtius anno 1610. in 12mo. h)*

210. Postea a quinque viris emendatio Codicis prioris suscipiebatur: inde *Codex repetitae prælectionis* prodiit, confirmatus 16. Cal. Dec. 154.

211. Accesserunt huic Codici non paucæ Constitutiones Justiniani, item 50. *Decisiones.*

212. Harum nota externa est inscriptio ad *Johannem*, vel *Julianum P. P.* & subscriptio: *Lampadio & Oreste Coss.* vel: *post eorum Consulatum.* Vid. l. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *C. de usufr.*

213. In-

(†) Extra omnem dubitationem id posuit *J. H. Mylius in libro singulari de Theophilo Lips. 1730.*

g) Plura suppeditant *Vigilius in præfat. Edit. Parisiensis anni 1538. 8vo. & Carol. Annibal. Fabrotus in emendationi editione Græco-Latina. Parif. 1657. 4to.*

h) \* Post Fabrorum *Jo. Doviatius* cum novis notis atque animadversionibus edidit ex Latina tamen saltem Paraphrasi, Parif. 1681. 12. vid. de singulis Theophilii editionibus *Gundlingiana P. II. §. 9. p. 119. f.*

213. Interna nota est mentio Juris Veteris dubii a Justiniano decisi.

214. Sed plures decisiones eadem die ad eundem directae videntur tantum pro diversis capitibus unius decisionis habendae; alias numerus earum quinquagenerium longe excederet.

215. Et dubium adhuc est, an omnes 50. Decisiones, an plures etiam Codici sint insertae. Conf. Strauch. ad 50. Decis. diff. 1. cap. 1. n. 8. seqq.

216. De his Decisionibus vid. Strauchius d. I. Edmundus Merillius ad 50. Decis. Wilhelmus Luduvell. Disp. Inaug. de 50. Decis. quae annexa est ejusdem Exercitationibus Justinianis. i)

217. Et haec quidem a Triboniano Codici adiecta sunt; a Glossatoribus vero superaddebantur tum Constitutiones e Baslicis depromtæ, tum periodi ex Novellis, quas vulgo authenticas vocant.

218. Illæ a Cujacio, Contio &c. adiectæ fuerunt dudum post juris Romani in Germaniam introductionem; unde autoritate legali destituuntur.

219. Exempla deprehendimus in l. pen. & ult. C. de usur. l. 33. C. locat. l. 24. C. mand. l. 6. C. de sponsal. l. 12. C. de repud. l. 1. & l. 2. C. de aleator.

i) \* Petri Franc. Linglois Decisiones L. a II. usque ad IX. librum Cod. Antverp. 1661. f. Dominici Bassi redivivus ingenii partes, f. Justiniani Imp. L. Decisiones, Viennæ 1708. 4.

*aleator. l. 15. C. de religiosi. l. 2. C. de privat. carcer. & paßim.*

220. Hæ sunt excerpta ex Novellis ad eas Codicis leges, quibus derogant, adjectæ, ad imminuendum studiosorum laborem. k)

221. Autor creditus fuit *Irnerius*, qui & Gvarnerius & Wernerus appellatur, natione Germanus, Juris Doctor Bononiæ celebris ab anno 1128. ad 1137.

222. Verum hunc autorem esse negat *Strauch. diff. acad. 4.* quæ inscripta est : *Irnerius non errans*, & opposita tractatui *Wissenbachii*, quem inscripsit: *Sylloge errorum Irnerianorum. 1.*)

223. Quamvis autem ipse *Strauchius* sibi non constet, an JCtis Papiensibus, an anonymo plusquam quingentis annis antiquiori eas attribuere debeat; constat tamen, Irnerii hunc laborem non fuisse.

224. Et videtur statim post Justinianum, quia Novellæ ejus nondum in unum Volumen erant redactæ, interpres quidam summaria ipsarum Codici annexuisse.

225. Si-

k) Earum CCXXIII. in universum reperiri, notat *Georg. Rittersbus. in Epilogo promulgatis errorum Irnerianorum.*

l) Adjectus est hic tractatus *Diatribæ & vindiciis de muto, anno 1660.* editis *Franekeræ in 8vo, & uterque postea repetitæ editioni Disputationum ad Institutiones, Franck. 1666. 4to.* Vid. nostr. *Notit. auter. Jurid. Specim. II. n. XLIX.*

225. Siquidem *Gregorius M.* m) qui exeunte seculo Justinianeo vixit, teste Strauchio authenticas jam allegauit.

226. Dein forte Papienses & tandem Irnerius authenticas auxerunt. (†) Quo spectant, quae habet *Odofredus apud Strauch. d. I. cap. 1. & 2.*

227. Hisce authenticis non competit autoritas legislatoria, quatenus cum Novellis non convenient.

228. Exempla sunt in *Aurb. Quas actiones. C. de SS. Eccles. Auth. Bona damnat. C. de Bon. damnat. Auth. Quod sine C. de testam. Auth. Ex causa. C. de lib. præter. Auth. Si quis vult caute. C. qui pot. in pign. & alibi.*

229. Authenticæ rāmen Friderici, quales sunt *Auth. Habita. C. Ne filius pro patre Autb. Omnes peregrini. C. Commun. de success. Auth. Nulla. C. de Episc. & Cleric. Auth. Sacram. pu-ber. C. si adv. vendit. Auth. Nav. C. de furt. vile-gis non destituuntur.*

230. Ultimum Juris Justinianei volumen sunt *Novellæ.* (scil. Constitutiones.)

231. Ha-

m) \* Lib. XI. ep. 54. citat Aūthent. Presbyteros C. de Episc. & Cler. item Burcardus & Ivo Authenticas citasse creduntur.

(†) Eandem sententiam defendit *Bynckersbœk* in libro singulari *de auctoribus & auctoritat. authenticar.* Sed ea de re magna inter illam & Pagenstecherum orta est contentio, quam refert *Brunnuell in hist. Jur. P. II. c. 10. §. 5. n. 6.*

231. Harum publicationem promiserat Tribonianus §. 4. *Const. de emendat. Cod.* sed mors vel ejus, vel Justiniani hoc propositum sufflaminavit.

232. Postea nunquam publicatas puto, sed tantum *collatas*, (i. e. collectas: id ipsum enim vocabulo bono, sed quantum ad significationem barbaro, indigitabant.)

233. Indeque forte in novem Collationes dividuntur, quia *novem fasciculis* constiterunt.

234. Nolim tamen hanc conjecturam pro indubitata venditare, aut *Rittersbusii* opiniones plane rejicere, quas explicat in *proœm. Novell. n. 19.*

235. Pleræque Novellæ Græco idiomate erant conscriptæ, quia earum præcipuus usus subjugata fere a Gothis Italia in Græcia futurus videbatur.

236. Habemus tamen etiam sermone latino conceptas *Novell. 9. 11. 23. 33. 34. 35. 61. 62. 65. 114. 138. 143. n)* Vid. *Charondæ editionem Corp. Iuris in Novell.*

237. Et hinc lingua Græca tantopere vulgo commendatur. Vid. *Rittersbus. in fin. Proœm. Novell.*

238. Textum Græcum primus ex descripto *Bononiensi* in lucem protraxit Gregorius Hal-

n.) \* Hæ, dum in Occidente valere debebant, latino idiomate promulgata. vid. *Novell. LXVI. c. I. §. 2.*

Haloander, suamque adjecit interpretationem. o)

239. Quæ vero ab hoc neglecta sunt, p) accurate emendavit & supplevit *Scrimgerus & Agylæus in Suppl. Novell. Paris. 1560.* 4.

240. Cæterum versio latina triplex potissimum est. (1) *Juliani, Patricii, Jcti & Antecessoris Constantinopolitani.* q)

241. Hic, resecatis superfluis procemiis & Epilogis, Novellas in compendium latinum statim post Justinianum redegerat, quod *Novellarum* nomen retinuit.

242. (2) Interpretatio authentica; unde Novellis latinis *authenticarum* nomen tributum est.

243. Hæc nihil resecuerat, sed verbum verbo *κατὰ πόδα* fideliter, sed infeliciter reddebat. r) Et tam a *Charonda*, quam *Dionysio Gotthofredo* retinetur.

244.

o) \* Noribergæ 1530. f. vid. de ea *Anton. Contius* in præfat. versionis Novellarum vulgatæ, quam emendatam una cum glossis edidit. Lugd. 1589. f.

p) Vel potius reperiri non potuerunt, ut Novellæ integræ 70. 76. 106. 137. 40. 49. 140. 149. videatur *Charondæ* editio *Antw. 1575. fol.* \* Cura Jo. Hervagii & Henr. *Scrimgeri* Novellæ variis additis ex MSto *Bessarionis* prodire Basil. 1541. f. & 1558.

q) Typis mandata ex bibliotheca Petri Pithei, \* Basil. 1567. f. & antea cum legibus Longobard. & Scholiis, cura Nic. Boërii, Venet. 1537. 8. it. edita a Ludov. *Miræo*, Lugd. 1560. 8. & ab Anton. *Augustino*, Ilerdæ 1567. 8.

r) Autorem hujus versionis Bulgarum Jctum Pisanum,

244. (3) *Greg. Haloandri*, quam Agylaeus postea ex Scrimgero & Hervagio supplevit. s)

245. *Ordo Novellarum* non alio, quam *temporis*, quo promulgatae sunt, nexus ductus est; (& neque hunc satis observatum t) non pauci contendunt.)

246. Inde diversa saepe jura sub unum titulum temere collocata, & connectenda divulsa fuerunt, prout eodem, vel diverso tempore prodierunt.

247. Inde etiam subinde posterior *Novella* priori aperte derogat. Vid. *Nov. 127. c. 1. junct. N. 118. c. 3. Nov. 117. c. 10. junct. N. 22. c. 4. Nov. 127. c. 2. junct. N. 119. c. 1.*

248. Defectibus hisce remedium ponere sategerunt, (1) *Dionys. Gothofr. in epitome Novella-*

## D

vella-

Poëtam, Græcas literas edocētum, faciunt *Alciatus* & *Covarrus*. vel saltem ejus ætate versionem suscepit contendunt. Sed contrarium evicit *Contius*, & videatur versio ista non multo post Justinianum enata. Vid. *notit. βασιλικῶν*. Interim huic versioni plus autoritatis vulgo tribuunt, quam fonti Græco. *Maurit. de Libr. Jur. Commun. tb. 16.* ratio in aprico est. vid. Cujac. lib. IV. obs. c. 38. & VIII. c. ult.

s) \* *Novus Interpres extitis nostra ætate Jo. Fridr. Hombergk zu Vach*, Antecess. Marburgensis, qui novam Versionem Novellarum edidit Marburgi Cattor. 1717. 4.

t) Ita *Nov. 23.* tempore prior est *Novelln 20.* ita *Nov. 50.* tempore præcedit *Novellam 41.* *Rittersbusf. ad Nov. P. 10. c. 1. n. 17. p. 649.*

*vellarum*, ad ordinem Codicis potissimum adaptata. Paris. 1683. 8.

249. (2) *Pardulphus Pratejus in Lexico iuris Civilis & Canon.* Lugd. 1567. in fol. edito, *Lit. N. Rubr. Novellarum methodus.* fol. 138.

250. (3) *Conradus Rittershusius in expositione Novellarum methodica*, quam meliorem hucusque non habemus. u)

251. In eo vero potissimum laudandæ sunt Novellæ, quod magis magisque ab antiquis subtilitatibus recesserint, vid. *Nov. 118.* & alibi pasim.

252. Hinc non abs re monent nonnulli, explicationem *Juris a Novellis* exordiendam esse.

253. Mihi videtur, principia juris tam ex Institutionibus, quam Novellis cæterisque voluminibus in systema aliquod redigenda & tyronibus proponenda esse. Cui bono enim insudamus soli textui, nec eleganti, nec cohærenti, nec fundamenta universa satis explicanti?

254. Dicis: imo substernendum est fundatum, quod Imperator præscripsit: &, dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

255. At

u) Nempe si respiciamus argumenta ex Jure & observantia Germaniæ, cum Novellis collata. Alias laude sua etiam defraudandi non sunt Petri Gudelini *Commentariorum de jure Novissimo libri sex.* Arnhem. 1661. 4to. quorum contenta recitavi in *notit. autor. Jurid. Specim. I. n. XXIX.*

Ind 255. At nego, Iustiniani autoritatem in Germania esse obligatoriam; nego Corpus Juris esse fontem, quoad methodum docendi.

256. Quantum ad numerum: turbate in primis egerunt interpretes: editio vulgaris glossata habuit XCIX.

257. Non tam ea XCIIX. quæ continua serie in hodiernis editionibus visuntur, exclusis reliquis a 99. usque ad 168.

258. Sed ex universis hodie extantibus hinc inde nonnullæ defecerunt, postea ab Haloandro, Cujacio, Scrimgero, Heervagio, &c. suis locis pro serie temporis promulgationis inserata, x) mutato reliquarum numero.

259. Plurimæ quoque in novis editionibus fuerunt transpositæ, quæque decem aliis prior erat; longe pluribus postposita invenitur.

260. Interim recentiores Corporis Glossati editiones antiquum ordinem retinuerunt, sed amplexis novis numeris, unde non facile texum ibi invenies, nisi maxima voluminis Novellarum parte pervoluta.

261. Haloandrina editio sifit 165, quibus in novioribus tres adhuc accesserunt.

262. Sed magnopere vereor, ut iis, quæ in  
D 2 Glos.

x) Ex Libro Cardinalis Bessarionis, Bibliothecæ Venetæ relieto, aliisque monumentis deponitæ.

Glossato non habentur, autoritas legis tribui possit. y)

263. Siquidem autoritas Juris Romani in foris nostris dependet ex receptione; tempore vero primæ receptionis Novellæ istæ nondum aderant.

264. Præstaret itaque eas diversis typis, vel alio quovis signo a reliquis separare. z) Et tantum de Jure Justinianeo. a)

### MEMBR.

y) Dissentit *Mauritius de Libris Juris Communis*, tb. 17. verum ejus argumenta hypothesin nostram non ferunt. \* Dum plures Novellæ certum personarum, aut provinciarum statum concernerent, eo quod usum amplius non haberent, in scholis forisque neglectæ sunt, quo factum, ut *Glossa saltim 98. Novellas interpretatur*. Unde in foro *glossatas* tantum valere non absque ratione dicitant. v. *Joach. Hagemeier de autor. jur. Civ. c. 8. p. 30.* (†) add. *G. L. Mencken Disp. de novellarum glossatarum & nou glossatarum auctoritate juris. Lips. 1707.*

z) Ut & illas, quæ non sunt Justiniani, ut Nov. 117. 14<sup>a</sup>. 144. 148. 149. quæ *Justino Imp. Nov. 161. 163. 164.* quæ *Tiberio Imp.* adscribuntur.

a) Post novellas in corpore Juris comparent *Edicla Justiniani* tredecim, non ad certum aliquem populum, aut gentem scripta.

## MEMBR. III.

DE JURE POST JUSTINI-  
ANUM.

265. Post Justinianum Jura ejus diversam experiebantur fortunam in Oriente & Occidente.

266. In Oriente vigeabant aliquamdiu pura; deinde in Græcum translata & aliis juncta.

267. Pura & in lingua latina florebant per 40. annos sub Justino, Tiberio, & Mauritio.

268. In Græcum translata recipiebantur in forum sub Phoca, Imperatore ignavo & imprudenti, qui occiso Mauritio anno 600. in Imperium successit, & durabant per annos 260. circiter.

269. An autem omnia sub eo, an ante eum in Græcam linguam versa fuerint, certo non constat.

270. Autotes tamen versionis memoriae nostræ supersunt, sc. Codicis & Digestorum Thalelaus, Antecessor; b) Institutionum Theophilus.

D 3

271. Qui

b) Ætate Justiniani; versio κατὰ πόδα confecta est; ipse Thalelaus (ita Rutilius; alii Thalelaum vocant) erat ex collectoribus Pandectarum, quem νομικῆς ὀρθαλμὸς appellabant. Vid. Balduin. & Halwand. in Proœm. Novell. qui posterior, hanc versionem vidisse se, testatur. Cæterum non solus Thalelaus Codicem vertit, sed adiutus est a Theodoro Hermopolita, Anatolio & Isidore.

271. Qui tamen diversus fuit a Theophilo,  
coætaneo Justiniani & ab Autore quoque pa-  
raphraseos. e)

272. Neque Justiniani tantum, sed & quo-  
rundam antiquorum JCrorum, ex quibus Di-  
gesta concinnata erant, libri in Græcum con-  
versi norma Juris erant.

273. Quibus accedebant in primis novæ Im-  
peratorum, a Justiniano ad Basiliū usque,  
Constitutiones.

274. Harum plerasque edidit *Enimundus*  
*Bonafidius* d) & *Joh. Leunclavius* e) in Libris  
Juris Orientalis, de quibus paulo inferius.

275. Postea

ro. Vid. notit. *Basilicæ*, Tomo eorum primo præmis-  
sam. Habemus etiam Codicis versionem Gallicam  
veterem, sed demum Lotharii ævo confectam. Cujac.  
in præfat. lib. Libr. Cod. & Lib. XI. Obs. c. II. &  
XVI. c. 24.

e) Nisi me omnia fallunt, alia Institutionum versio Græ-  
ca, præter hanc paraphrasin, ostendi hucusque non  
potuit. Atque adeo jam neque autorein, neque ipsum  
opus diversum fuisse a paraphrasi puto. \* Non multo  
post Justiniani excessum factam paraphrasin, ex Tit.  
de usucap. §. 11. & 12. luculententer constat, ubi Theophilus  
Justinianum *Regem nostrum* appellat, & ad eius  
Constitutionem, nuper emissam, provocat: ut merito  
miremur, Theophilum Cujacio visum fuisse junio-  
reai ipso Accursio, & Theophilitzēn vocatum.

d) \* In libris III. Juris Orientalis. 1578. 8. una cum la-  
tina interpretatione ex officina Henr. Stephani edi-  
tis.

c) \* In *Jure Græco-Romano*, II. Tomis distinto, a  
Marqu. Freb ero edito Francof. 1596. f. Harum etiam  
Constitutionum Latina versio Corpori Juris subjecta

275. Postea Basilius Macedo, Princeps magnanimus, inter captivos venales Constantiopolin adductus, dein Anno 867. in Imperialem dignitatem evectus, novam Juris collectionem meditabatur.

276. Causam allegabat, referente *Cedreno*, f) nimiam prolixitatem, obscuritatem & ordinis in corpore Justiniani defectum.

277. Quibus nævis remedium ponere, leges abrogatas, vel ab usu recedentes dispungere, & servatis utilibus multitudinem repurgare decrevit.

278. Idque eum alicubi præstitisse, exemplis ostendit *Dionys. Gothofr. in præfat. Basiliæ de anno 1606.*

279. Sed credunt plerique, æmulatione Justiniani inductum fuisse, cuius famam ex compositione juris adeptam ferre non potuerit.

280. Interim Basilius opus destinatum absolvere non potuit, morte ipsum præveniente.

281. Edidit tamen *Epitomen Codicis Justinianei*,  
D 4

visitur. Plures Imperat. Græcorum Novella in Cod. Bibliothecæ Vindobonens. occurunt. v. *Lambecius*, *Neffelius*.

f) Nunc quidem ratione Cedreni opus non est, postquam ipsum *Leonis proœmium*, *Basiliæ Fabroii præfixum*, easdem rationes continet, & in primis urget, inconcinnum videri, quatuor diversa Volumina de eadem re conscribere.

nianeī, quam πεόχειον τῶν νόμων appellavit. g)

282. Post filius ejus Leo novam recensionem, in L X. libros h) divisam, novo, sed non meliori ordine edidit anno 886.

283. Eamque Βασιλία νόμιμα appellavit; vel, quasi Constitutiones Regias, vel, quod verosimilius, a patre suo Basilio.

284. Inde, & quod studiis legum Civilium valde deditus fuerit, (quod vel Novellæ ejus testantur) cognomen *Sophi*, vel *Philosophi* meruit.

285. Et cum adeo duplicem Basilica habeant autorem; a quibusdam Leoni, ab aliis Basilio attribuuntur.

286. Comprehendebantur iis universa Juris Justinianeī & subsecuti volumina, suppressis tamen nominibus JCtorum & Imperatorum, item subscriptionibus legum ex Codice transsumtarum.

287. Qua in parte non satis de Jurisprudentia meritus est, præscissis non contemnendis explicationis & conciliationis mediis.

288. Deinde *Constantinus Porphyrogenetta* (quod in Porphyretico, palatio Constantinopolitano natus esset) secundus Basillii filius, (†) Leonis

g) \* Tantum ad XL. libros opus perduxit, ex omni jure Justinianeō a. C. 867. compilari cœptum, titulis fere novis, nec in leges, ut fit in jure Justin. distinctis.

h) \* Inde ἐξυπέρβαθλος dicta, & ἐξάβιθλος, quod in sex τέυχη, sc. volumina esset distincta.

(†) Ita Dion. Gothofredus & Marquard. Frekerus exi-

Leonis frater repetitam βασιλικῶν praelectionem edidit.

289. Hoc demum genuinum opus est, vi-cennio post primam editionem in lucem emis-sum, hodieque superstes. Ex eo septem Li-bros, scil. 28. 29. 30. 45. 46. 47. 48, in Latinum vertit i) *Gentianus Hervetus*, quibus sexage-simum Cujacius adjecit. Eos junctim edidit *Dion. Gothofr. Hanov. 1606. in fol. k)*

290. Integros tandem 1) Latino - Græcos septem voluminibus m) sistebat ex Biblioth-

D 5

ca

stimarunt, sed perperam. Namque Constantinus Por-phryogenneta fuit Basilii nepos & Leonis filius. vid. *Chrisfr. Wæchtleri epistolam ad J. B. M. Act. Erud. a. 1715. p. 505. insertam.*

- i) Ed. Lutet. 1557. Tom. II. Merito displicet hæc ver-sio Fabroto, qui suam substituere maluit, quam istam emendare. Siquidem doctissimus erat Hervetus, sed non Juris. Cujacii vero versionem plane retinuit, optatque, ut iste integros LX. libros vertendos su-scepisset.
- k) Sub titulo: βασιλικῶν διατάξεων, id est, Imperialium Constitutionum, in quibus continetur totum Jus Ci-vile &c. Fabrotus vero simpliciter inscripsit: βασιλικῶν Libri LX.
- l) Non tamen omnes in hac editione sunt authenticæ, sed duntaxat XLI. perierunt enim liber XIX. XXXI. -- XXXIX. XLIII. XLIV. XLIX. -- LIX. nisi forte adhuc in aliqua Bibliotheca premantur. Eas la-cunas supplevit Fabrotus ex Synopsi Basilicæ eorumque glossis, ex Theodoro Hermopolita, tunc non-dum edito, Constantino Harmenopulo, & Commen-tario Cujacii in tres posteriores libros Codicis.
- m) Primus tomus continet Libr. I. -- XI. secundus XII. -- XI. tertius XXII. -- XXIV. quartus XXV. --

ca Regis Galliae Carol. Annibal Fabrotus Antecessorum Aquisextiensium Decanus, cum versione sua Latina, præter quam nihil adjectum, Paris. 1647. f.

291. Ad eos Scholia scripserunt Jcti Græci; at non tantæ copiæ, ac nostri ad Corpus Romanum.

292. Et ex iis glossæ aliquæ ad nos perverterunt, editioni Fabroti adjectæ, sicut Accurſianæ volumini Justinianeo.

293. Nempe Glossa Stephani, Nicæi, Thadæi, Eustathii, Eudoxii, Isidori, Basili, &c. Conf. quæ dixi in notit. autor. jurid. Specim. III. n. 20.

294. Magis placebant Græcis epitomæ & Synopses, quarum primam supra memoravimus Basili  $\pi\varrho\gamma\epsilon\varphi\omegaν$ .

295. Ex eo & priori Basiliæ editione atque Constitutionibus Imperatoriis usque ad Emanuelem Comnenum, qui imperavit circa annum 1150, Constantinus Harmenopulus, Præses Thessalonicensis Promtuarium Juris confecit, anno 1143. n ) cui non absimile

XXXVII. quintus XXXIX. -- XL V. sextus XLV. -- LIX. & septimus librum sexagesimum. \* Addita quoque huic editioni Josephi Mariæ Suarezii notitia Basiliorum, ad eorum historiam & Græcam jurisprudentiam apprime faciens.

n) \* Ita Suarezius, & omnes vulgo. Sed Harmenopulum demum circa a. C. 1345. sub Anna Palæologa & ejus filio vixisse, probat Lambec. in Biblioth. Vindol. I. VI. p. I. p. 39.

mile est περιχείρον Antiochi Balsamonis. o)

296. Breviorem adhuc synopsin ante Harmenopulum edidit Michael Attaliates, (Attaliotam vocant alii,) Ictus, iussu Michaelis Ducæ Imp. circa annum 1070. (†) (alii 1071. alii 1077. substituunt,) quam *Compendium compendii* vocat.

297. Eodemque tempore Synopsin suam condidit Michael Psellus, versibus politicis comprehensam.

298. Edidit quoque Job. Leunclavius, Basil. Anno 1576. ἐκλογὴν βασιλικῶν, sed eam non concinnavit.

299. Prodiit enim ex Bibliotheca Job. Sambuci, Pannonii, a quo Tarenti in Calabria reperta erat, quippe quæ pars Italiae Orienti diutissime paruerat.

300. Tres quoque Paratitorum libros Leunclavius iste latinos reddiderat, in quibus leges ad res & personas sacras p) spectantes ex Cor-

o) \* Quod Anton. Augustinus recenset in Bibliotheca sua, cod. 188.

(†) Potius circa annum 1073. quod apparet ex epigrammate præmisso, in quo ejus auctor ait: tertio Michaelis imperatoris anno opus illud prodisse, extat vero in *Leunclaviij jure Graeco-Rom.* Tom. II.

p) \* Photius, Constantinopolit. Patriarcha circa a. 880. edidit *Nomocanonem*, ex Constitutionibus Imp. Basiliis & canonibus Ecclesie congregatum. In hunc, ut & varios conciliorum Canones commentarium fecit Theodorus Balsamo, isque una cum Nomocanone extat in Henr. Justelli & Guil. Voëlli Bibliotheca juris Canon. veteris, Parisi. 1661. f. Tom. II.

Corpore Justinianeo desumptæ sunt, adjectis singulis, quæ in aliis titulis & glossis ad hanc materiam pertinentia reperiuntur. q)

301. Cæterum Basilica in usu fori orientalis fuerunt usque ad eversum Imperium & captam anno 1452. sub Constantino Palæologo a Muhammede Constantinopolin.

302 Ab eo tempore ibidem eversa fuit Jurisprudentiae memoria; fabulas enim loquuntur, qui narrant, Constantinopoli hodie summam venerationem esse Codicis Iustinianei, ad eumque in summo dicasterio aliisque judiciis propositum in pronunciando recurri.

303. Et quamvis, Leunclajum in Tribunalibus Turcicis r) Codicem Justinianum vidisse, referat Treutler. Vol. 1. D. 7. Tb. 5. lit. a. Bus. ad L. 6. de J. & J. n. 2. Grænev. ad præm. Inst. n. 1. Id tamen satis refutat Feltmann. ad l. 2. §. 3. de O. J.

304. In Occidente alia facies fuit Italiae, s) alia Germaniae.

305. In

q) Denique sub titulo *Juris Græco-Romani* omnia congesit & edidit. Porro Imperator Leo Sophus etiam *Juris Epitomas* edidit, opus elegans, meritis definitiōnibus & regulis constans. Neßelius catalog. Biblioth. Cas. p. 6.

r) Add. Pagenstech. Manip. 2. p. 105. qui cum esse Codicem Justinianum priorem in linguam Turcicam versum, ex Speidelii Speculo lit. G. n. 65. refert.

s) \* Jam ante Justinianum diversa Juris Romani fata in Occidente. Per occupationes ac direptiones Orbis Romani & ipsius Romæ non potuit non ejus autoritas exolescere. Visi-Gothi, Italia occupata, moribus suis vixerunt, post Euriens eorum confuetudines literis

305. In Italiam, excepto Illyrico, leges Justiniiani non penetrasse, impedientibus barbarorum dominationibus, plurimi putant.

306. Eas vero demum partim Amalfi reperitas, partim aliunde erutas, jussu Lotharii II. in scholas & fora, juribus aliis omnibus antiquatis, anno 1137. revocatas t) & scholam Bononiensem ad eas explicandas fundatam fuisse.

307. Verum tot pene errores, quot verba, hic detexit *Conringius in tract. de Orig. Jur. German.* u) Cujus potissima breviter delibabimus.

308. Scil.

consignari jussit, quod *Isidorus Hispalensis* docet. Idque rectius, quam Athaulphum Gothorum Regem leges scriptas Gothis procurasse, creditur. Eurici legibus quænam accesserint, recenset *Conring. de orig. Jur. Germ. c. 3.* Mansit tamen usus Codicis Theodosiani. Hinc Anianus Gothus jussu Alarici Vifi-Gothorum Regis a. 506. breviarium Codicis Theodosiani confecit, ac post eum Papianus Burgundio *librum Responsorum*, hoc fine, ut qui lege Romana vivere vellent, normam haberent, & corpus quoddam Juris ex lege Romana. Nam Romano jure utendi libertatem Burgundiones & reliquæ Germanicæ gentes subditis suis reliquerunt. Ostrogothi in Italia Consuetudines suas Romanis legibus permiscuerunt, quod ex *Cassiodori formulis* cognoscere est. Theodoricus Rex & successores *Edicta* promulgarunt, ad statum Regni accommodata. *Edictum Theodorici* edidit Petr. Pithœus, & ex eo *Fridr. Lindenbrog. Cod. Legg. antiquar. p. 239.*

t) Suaore Irnerio, qui Constantinopoli JCtos docentes audivisse, dein hosce libros ex situ & pulvere protractos renovasse, certis tomis distinxisse, paucisque de suo verbis interpositis publicasse fertur.

u) Conferendus omnino *Conradus Sincerus* (sive Kulp-

308. Scil. falsum est, nullum ante Lothari-  
um usum fuisse juris Justiniane in Italia. x)

309. Et convincit hanc opinionem quo-  
dammodo *Leevvius de O. F. p. 728. seqq.* Soli-  
dius vero *Conring. d. l. c. 20.*

310. Scil. Visigothi in Gallia Codice The-  
odosiano, Longobardi in Italia Codice Justi-  
niano & Novellis utebantur. y)

311. Pandectæ tunc erant incognitæ; major  
Codicis & in causis Ecclesiasticis Novella-  
rum supererat autoritas in locis Italæ a Lon-  
gobardica dominatione liberis, Roma ipsa, Ex-  
archatu Ravennatensi &c.

312. Et Carolus M. jamjam in multis nego-  
tiis

fius) *de Germanicarum Legum veterum & Romani  
Juri in Republ. nostra usu & autoritate præsenti.* Quem  
recitavimus in *Specim. 2. autor. jurid. n. 22.*

x) \* Devictis Gothis, occupata a Justiniano Italia, jus Ju-  
stinianum per Italiam cœpit, & in Academiam Ro-  
manam publica lege introductum est. Sed Jus Ante-  
Justinianum & Gothicum non statim sublatum.

y) \* Longobardi quidem, postquam intrassent Italiam, le-  
ges suas introduxere, Rotharide Rege autore, primo,  
quibus varia Grimaldus, Luitprandus, Rachis, Aistul-  
phus adjecere, ut & ipsi Francorum Reges, qui Lon-  
gobardos sibi subjecerant: Sed Exarchatum nec sta-  
tim occuparunt, nec diu tenuerunt Longobardi, Ro-  
mam ac Ducatum Rom. vero nunquam possederunt.  
Hinc in Imperio Rom. strictius dicto, nullus, nisi for-  
te arbitrarius, juris Longobard. usus Legem hanc Lon-  
gobardicam Lindenbrogius Codici suo p. 503. inseruit,  
antea tum a Jo. Basil. Heroldo, tum a Melch. Golda-  
sto editam.

tiis concesserat plebi Italicae, Longobardico regno subditae, usum Juris Romani.

313. Lotharius postea anno 847. optionem dabat singulis, profitendi, qua lege velint vivere: Romana, Longobardica, Salica? utque, quam professus esset quilibet, ad eam judicaretur.

314. Idque arbitrium legem sibi eligendi duravit usque ad Lotharium Saxonem, quibus temporibus adeo semper usus aliquis arbitrarius Juris Justinianei superfuit.

315. Deinde, licet negari non possit nota de reperto in Apulia z) & Pisas translato Pandectarum volumine historia, quam ex Taurello sistit Conring. c. 21. p. 128. ea ipsa tamen confirmat, autoritatem Corporis juris non demum supervenisse ex sanctione Lotharii.

316. Cur enim tanti aestimassent hoc Pandectarum volumen Pisani, ut impensarum bellicarum sufficiens præmium judicassent, nisi tunc aliqua ibi Juris Romani fuisset autoritas.

317. Et cur non potius Bononienses illud obtinuissent, vel schola ejus interpretandi gratia Pisis magis, quam Bononiæ instituta esset?

318. Scil.

z) Ejusque oppido Amalfi, quo ex Bibliotheca Byzantina, vel Ravennate pervenit; nam in Græcia conscriptum est. \* Omnem inventionis historiam, & errores communes circa eam refutatos vide apud Breman. Histor. Pandect. lib. I. potissimum cap. 7. f.

318. Scil. jam ante repertas Pandectas instituta erat Schola Bononiensis, in qua Jus illud privato studio doceri cœpit. *Conr. p. 118.*  
*ex Siganio, & p. 129. seq.*

319. Nihil vero de expressa Lotharrii in scholas, multo minus in fora introductione, minime vero de Jurium aliorum tunc vigentium abrogatione.

320. Introduc̄tio in scholas ipsis Bononiensibus, vel certe rogatui Mathildis debetur. *Conr. c. 21. passim. a)*

321. Introductione in forum opus non erat, quia jam tum aliquatenus vigebat.

322. Magis quidem gliscere autoritas ejus in scholis incipiebat, quod nunc melius, quam antea intelligi cœpisset, quodque Irnerius a singulariæ æquitate, eruditione & plenitudine illud præ barbaris majorum institutis commendasset. b)

323. Hinc

a) \* Scilicet jam ante Lotharium Saxonem, & ævo Mathildæ Wernherus, s. Irnerius, Jus Justinianeum in Academiam Bononiensem induxit, magno applausu docens, cum ante eum Pepo idem conatus param valuisse. Nec in dubium vocanda Conradi Vrspergensis fides. v. Conring. l.c. c. 21. Fabulas de restitutio-  
ne juris Romani per Lotharium, de donatione libri Pandectarum Amalphitani Pisaniis facta, de jure cre-  
andi Doctores Juris a Lothario in Academiam Bono-  
niensem collato, expludit laudatus Brencimannus

b) \* Irnerius in Codicem glossas composuit, *authentica-  
rum nomine celebres*. Jam & complures tum ex  
ejus, tum ex Irnerii discipulorum scholis doctores pro-  
dibant, qui vel Glossas scribendo, vel docendo, Jus  
Justinianeum in Academias & fora propagabant.

323. Hinc magis magisque in fora serpebat, ob jam dictas rationes, quibus accedebat primitas in res novas, & tedium Imperii Germanici, adeoque legum Francicarum, denique & Longobardicarum.

324. Eademque sola æquitatis præsumtio efficiebat, ut Leges Romanæ in Gallia quoque & Hispania sine autoritate publica reciperentur.

325. Hujus in Italia mutationis initia assurgunt ultra tempora, quibus confirmatio Romanarum & abrogatio reliquarum legum facta singitur.

326. De hac postrema notandum : leges Longobardicas diu post Lotharium in Italia perpetuum usum retinuisse. *Conn. c. 22.*

327. Imo postea demum autoritate publica in codicem congregatas esse. Cur vero tanta cura colligeretur, quod abrogatum est?

328. Adde, quod ista receptio & abrogatio non nisi in conventu publico fieri potuerit, cuius modi unicum in Roncaliis habuit Lotharius.

329. Ibide hoc negotio neque aliquid actum esse, monumenta eorum temporum produnt, neque Pandectæ adhuc repertæ fuerunt. c)

330. Neque ullum abrogationis documentum aliud afferri potest, quam *fama*, ea que Doctorum saltem recentium.

c) \* Equidem Pandectas tum jam repertas fuisse, scilicet a. 1135, cum anno sequenti essent conventus in campis Roncaliis, probat *Brenemannus*: Sed nihilominus aetate in campis Roncaliis alia omnia perhibent.

331. Nihilominus alia Lotharii ad nos per-  
venere, ipsi Codici Justinianeo inserta; quo-  
modo vero omissa fuisset tanti momenti con-  
stitutio, & plane interiisset?

332. Imo revera obtinuisse post Lotharium  
Jura Longobardica & Consuetudines, docet  
*Obertus 2. F. 1. 22. & 58.* docent alii a *Conringio*  
*p. 135.* citati.

333. Accessit tamen a Friderico I. & seqq. Cæ-  
saribus cura aliqua Juri Justinianeo, quod ejus  
Doctores omnem Cæsaribus Romanis attribu-  
tam potestatem ad Imperatores præsentes ap-  
plicarent.

334. Unde erat, quod Fridericus I. statim  
ad altiora, inique licet, adspiraret. *Conring.*  
*c. 23. p. 143. seq. d.)*

## SECTIO

d) \* Ex Schola Irneriana periodus nova JCtorum, sc.  
Glossatorum, quos recenset *Gravina*, u. 144. ff. &  
*Guid. Pancirolus de claris Legum Interpr.* lib. 2. c. 4.  
Præcipui inter eos Martinus Cremonensis, Bulgarus,  
Hugolinus, Rogerius, Placentinus, Pyleus, Azo, &  
ultimus glossatorum, Accursius. Eos audire Germa-  
ni, maxime cum Fridericus I. studiosis literarum in-  
signe illud privilegium, authenticis adjectum, dedi-  
set. Hinc *Corpus Juris Glossatum*, & *Jurispruden-*  
*tia Glossis alligata*, usque dum renascentibus literis  
humanioribus, duce fere *Alciato* politiores JCti ex-  
surgebant, quibus genuinam juris interpretandi ratio-  
nem debemus. Sed non omnibus meliora placent.  
Hinc duæ JCtorum sectæ, sibi invicem infestæ, *Hu-*  
*manistarum* & *Realistarum*, s. *Theoreticorum* & *Præ-*  
*ticorum*.

## SECTIO II.

## DE JURE GERMANICO.

335. Quoad Germanos, de iis Tacitus, e)  
plus apud eos bonos mores, quam alibi bo-  
nas leges valuisse, affirmat.

336. Ubi per mores procul dubio non in-  
tellexit modum lites decidendi, sed modum  
vivendi.

337. Mores isti non poterant non meliores  
esse nostris, fomite criminum & litium re-  
moto.

338. Exulabat enim cura divitiarum, mollities  
& luxus vicius quotidiani, indeque resultans  
libido.

339. Rara ergo negotia Civilia, in primis tri-  
cæ contractuum, & vel ignota, vel prohibita  
testamenti factio. f)

340. Duo eos premebant, iisque prægnan-  
tes nævi : tolerantia latrociniorum & conti-  
nuata temulentia, g) cædium frequentium,  
adeoque fere impunium causæ.

E 2

341. Hæ-

e) *De Morib. German.* c. 19. forte inde occasionem ob-  
tinuit Thomasius conscribendi disputationem, qua  
*morum cum jure scripto contentionem* summo judicio  
expendit, Hale, 1701.

f) *De qua Tacitus de Moribus Germ.* cap. 20. bēredes  
successoresque sui cuique liberi & nullum testamentum.  
Idque ad tit. ff. qui testam. fac. poss. pluribus probavi.

g) Sed vide, quæ notavimus ad tit. ff. de judiciis.

341. Hæ atrocioribus penis coercendæ, reliqua pro viribus conservanda erant.

342. Habuisse vero Germanos Taciti jam & Julii Cæsaris ætate leges h) quasdam, patet, quia jam habuerunt judicia.

343. Eas tamen, nisi quantum ex his duobus haurire possumus, a nobis ignorari, extra dubium est.

344. Seculo post Christum quinto Franci, i) Burgundiones, k) Westrogothi, seu Wifigothi, Ostrogothi, Longobardi, provincias Romanas tunc insidentes, Leges sibi nonnullas lingua & literis Romanis scripsere; vid. *Conring. cap. 2. seqq.* quas demum edidit Frid. Lindenbrog. in Codice LL. Antiquarum.

345. Francorum Leges scriptæ extendebantur ad viatos ab ipsis l) Alemannos, Bojoarios &

h) An vero eæ in scripturam redactæ fuerint, an non, alia quæstio est, quam negandam putamus.

i) \* Inter leges Francorum antiquissima & præcipua lex Salica Latine, sed corrupte scripta, paulo ante Pharamundum Regem lata, ut volunt, sed Chlodovæi temporibus demum innotescens. Diffineta erat a lege Ripuaria, quæ non per omnia stringebat Francos Orientales. Lex Salica apud omnes Francos sensim recepta, Sec. XIII. in desuetudinem abiit.

k) \* Burgundiones auctore Gundebaldo Rege librum legum Sec. VI. acceperunt: hinc nomen legis Gundebadæ. Hæc in Burgundicis terris solum obtinuit, iisque devictis relicta est a Francis.

l) \* Theodoricus Rex Francorum Sec. VI. legem Francorum, Alemannorum, Bojoariorum jussit conscribere, consuetudinibus gentium singularum accommoda-

& Thuringos. *Conring. c. 8. seqq.* ubi c. 10. de Legibus Ripuariis Francorum.

346. Hinc Carolus M. Legibus Salicis seu Francicis, Bojoricis & Longobardicis multa adjecit. *Conring. c. 12.*

347. Omnium etiam reliquarum nationum, quæ sub ejus ditione erant, jura, quæ scripta non erant, describi ac literis mandari jussit.

348. Itaque & Saxonibus m) & Frisiis n) Leges scriptas (quibus antea nunquam erant usi) eum deditisse, certum est.

349. Fabulosa tamen sunt hanc o) in rem as-  
E 3 ferta

tam. Inde lex *Alemanica* enata, a Chlotario II. & Dagoberto posthaec varie aucta, vel emendata. Inde & *Boji* leges suas antiquas a Theodorico Austrasiæ Rege reformatas acceperunt, a Dagoberto postea emendatas. Duces quoque Bavariæ ex gente Agilolfingica cum Primate suorum consensu decreta conceperunt, ex quibus decretum Tassilonis Ducis a. 772. publicatum.

m) \* Saxones, dum in veteri Saxonia substitere, leges suas habuissent, vetusti scriptores perhibent. Saxones, qui in Germania sedes posuerant, partim moribus, partim jure scripto ante Caroli M. tempora usos esse, vel ex pace inter Carolum Saxonesque, & ex Caroli capitularibus patet.

n) \* *Frisiorum*, vetustissimi Germaniæ populi, leges antiquæ a Carolo M. aucta & confirmatae. Aucta quoque sunt ad gentis petita a Rudolpho Habsburgico. Edidit eas cum notis *Sibr. Siccama, Franeck. 1617. 4.*

o) Forte per traducem hæc jura inde a Carolo M. promanarunt; sed subinde mutata & aucta. Quæ vero monumenta supersunt, ad Caroli tempora non adscendunt.

ferta autoris *Speculi Sax.* ejusdemque *Glossatoris Conr.* c. 13. p. 51. seqq.

350. Veras autem Carolinas Saxonum & Frisiorum Leges exhibuit *Johannes Basilius Heroldus*, & *Lucas Holstenius*. p)

351. Interim hæ leges non novæ plane erant, sed novo more per scripturam promulgatae, neque unius Caroli autoritate, sed populi consensu adhibito, in scripturam redactæ.

352. Collegit præterea Carolus opera Albinii, & Paulini Episcopi Canones certos ex Conciliorum, Patrum & Pontificum sententiis, quos apud *Lindenbrogium Ansegisus* exhibit Lib. 1. reliqua Juris Canonici tum extantia non ita approbavit.

353. Ludovicus deinde Pius novas subinde Leges in Conventibus tulit, & veteres approbavit. q)

354. Ho-

p) Hic duo edidit opuscula Romæ, anno post sexagesimum circiter superioris seculi, quorum alterum: *Caroli M. capitulatio de partibus Saxonie*. Alterum: *Capitulare Saxonum*. Utrumque postea edidit Baluzius Tom. I. *Capitularium Regum Francor.* p. m. 249. & 275. Lex Saxonum antiqua extat apud *Heroldum*, *Lindenbrogium* & *Leibnitium*, XVIII. titulis constans. Ei permulta sensim addita inde a Carolo M. cuius potissimum *Capitulare Saxonum* memorabile. Istam crudelissimam, ut vocatur, Saxonum legem confirmavit post Henr. II. Conradus II. Imp. Accessiones ejus & mutationes quoque ab Henricis sequentibus factæ.

q) \* Caroli M. & Ludovici Pii capitularia circa a. 827. primus collegit *Ansegisus Abbas*, quam collectionem

354. Horum utriusque Leges per tempus aliquod, sed non pari semper religione observatae, nihilque fere iis superadditum, multa demum desuetudine abolita, & longe alia moribus observari cceperunt.

355. Certe si leges r) in subsecutis usque ad Lotharium II. Germaniae conventibus latæ, eæ tamen vel non fuere conscriptæ, vel iterum perierte.

356. Lotharius II. vero non modo Jus Romanum in Germaniam non introduxit, (nec enim introducebat in Italiam) sed nec aliquid circa Leges Germanicas mutavit. *Conr. c. 24.*

357. Fridericus I. Leges scriptas nonnullas tulit; s) dubium vero, an Germania eas in u-

E 4 sum

Ludovicus Pius, Carolus Calvus, Papa quoque approbarunt. Ei IV. libris comprehensæ tres libros adjectit *Benedictus Levita*, Moguntinus, usu publico in Francia & Germania receptos, quibus IV. libri additionum incerto autore accessere. Editiones capitularium sunt: prima *Jo. Tili Parif.* 1548. sed imperfecta, altera *Petri Pitbæi*, *ibid.* 1588. *Fr. Pitbæi* 1630. & 1620. optima est *Steph. Baluzii*, *Parif.* 1677. f. *Tomu II.*

r) \* Equidem ab Ottonibus eorumque successoribus complices leges in comitiis latæ, statum civilem respicientes, quas imprimis congregavit Melch. *Goldastus Constitut. Imp. T. un. p. 215. seqq. & T. III. p. 303. seqq.* qui & Imperatorum Francicorum, Conradi II. Henrici III. IV. & V. varias Constitutiones exhibet.

s) \* Quales sunt leges ejus castrenses, aliæ de judiciis & foro competente, probationibus, furtis, homicidiis, Sechinis, &c. Constitutiones; Authentica C. ne filius pro patre; ejusdem pax publica in conventu Princi-

sum receperit, sed ea potius ex aequo & bono moribusque receptis plurima transegit usque ad seculum XIII.

358. Veteres enim Carolinæ leges manibus eorum exciderant: Neque si superfluisserent, sufficere poterant emergenti negotiorum multitudini, luxu & fallaciis indies increbrescentibus.

359. Neque obstant fabulæ *Repkovii*, capitula sua Speculi Saxonici pro Legibus Carolinis venditantis, nam sibi ipse contradixit, ea ante se scripto non fuisse comprehensa.

360. Post annum 1200. Germani progerminante studiorum & Germanice scribendi, ob introducta commercia usu, atque Italorum aemulatione, legibus scribendis magis sese applicarunt. t)

361. Sed scribebantur saltē memoriae sub fidio, non jussū Imperatoris, sed ex arbitrio singulo-

pum Norib. 1187. firmata. Secutæ Ottonis IV. de donationibus & de vulneratis, de pace publica, aliaque Constitutiones. Collectio talium Constitutionum a Burcardo Vormatiensi facta 20. libris, sed nunquam recepta.

t) \* Fridericus II. Imp. plures tulit Constitutiones. Præcipue vero ejus constitut. in curia Moguntina anno 1236. Iata in qua, pace jurata, firmantur vetera jura, statuuntur nova, tanquam primum Recesum Imperii vernaculo sermone scriptum exhibet *Goldatus Reichssatzung. P. II. p. 17.*

gulorum Procerum in Comitiis, ubi leges ferebantur, præsentium, vel collegiorum, in quæ jura illa recipiebantur.

362. Recepérunt iisdem temporibus Jus Pontificium, a Gregorio IX. promulgatum.  
*Conr. cap. 26. u.)*

363. Neque tamen illud ubique consuetudinibus suis prævalere passi sunt. *Qand = R. Part. 3.*

364. Proceres quoque singuli, x) urbes pleræque, collegia plurima leges & statuta condere poterant.

365. Unde publicæ Imperii totius Constitutiones fere negligentius habitæ, (†) & pau-

E 5

cissimæ

u) \* Eodem Recessu Moguntino eautum, ut secundum jus Pontificum judicentur res spirituales. Sed & in rebus secularibus magnam ejus juris autoritatem receptam inter alia probat Spec. Suev. lib. I. c. 5.

x) \* Principes Imperii jam a Sec. XIII. legislatoriam potestatem exercebentes *jura provincialia* considerunt, quibus tamen initio confirmatione Imperatoris opus fuit v. *Hertius de superiorit. territor.* §. 25. *Themas. de Statuum Imperii potest. legislatoria.* Et hac ipsa Principum potestate crescente, jura civilia a legibus Imperii abesse cœperunt.

(†) Illis enim temporibus potissimum obtinuit jus manuarium, quo pleræque lites finiebantur. Ejus duæ erant species, una iudicium duellicum, altera diffidationes. Vtrumque vero cum fine Seculi XV. euauit.

cissimæ usque ad Maximilianum I. ad nos pervenere.

366. Hæ enim ad paucos perveniebant ; reliquis nihil curæ erat illas comparandi vel cognoscendi , collabescente indies autoritate Imperatorum.

367. Ergo fere tunc judicabatur secundum consuetudines urbium , provinciarum , & leges speciales , uti patet *ex constitutione Rudolfi I. apud Conr. c. 27. p. 162. y.)*

368. Inter urbium leges antiquas eminent Colonienses, Aquisgranenses, Lubecenses z) & Magdeburgenses. *Conr. c. 28.*

369. Jus Magdeburgense, quod tertiam partem Speculi Saxonici faciunt plerique, conditum est circa initium Seculi XIV. ut luculentis conjecturis probat *Conr. c. 29. excutiens simul fabulam, quasi hoc Jus ab Ottone descendat. a)*

370. Jus

y) \* Inprimis invaluere *Jus Saxonum & Jus Suevicum*, ex utriusque populi moribus collecta, in que tota fere Germania divisa, quod ex Germanorum in Franconos & Saxones distinctione consecutum. Hinc orta porro Germania in Superiorem & Inferiorem divisio, ut illa juris Franconici, hæc juris Saxonici esset: hinc duplicitis in Imperio nostro Vicariatus ratio.

z) Quæ servantur in Civitatibus Mecklenburgi & Pomeraniæ citerioris. Item Rostochii & Stralsundi. v. Mevii præfat. ad jus Lubecense.

a) \* Weichbildum Magdeburgicum, a Wieck, vico, castel-

370. Jus provinciale vero, quod in primis Speculum Saxonicum b) appellatur, non temporibus Caroli M. nec jussu ejus, sed circa annum vigesimum, vel trigesimum seculi decimi tertii, privato ausu conscriptum. *Conr. c. 30.*

371. Autor ejus *Ecco a Repkau*, c) cuius præfa-

lo, & *bild*, i. e. herma, statua, s. lapide terminali, aut *a bilden*, i. e. formare, dictum, sicut alias statuta civitatum **Willför**, **Markrecht** nuncupantur. Magdeburgum Saxoniae Metropolis iudicium Scabinorum supremum, **des Weichbildes höchsten Dingstuhl**, alterum Scabinatum Hala Saxonum habuit, ad quos Scabinatus Poloniae, Bohemiae, Borussiae, Silesiae Lusatiaeque urbes, statutis Magdeburgensibus usæ, provocarunt. Scabinorum responsa plurima in libros digesta post Speculum Saxon. legi possunt. vid. Jo. Gryphander, *de Weichbildis Saxoniciis*.

- b) Scil. Jus Saxonum est vel antiquum s. commune, quod tribus istis partibus, **Land-Recht**, **Lehn-Recht**, & **Weich-Bild** continetur; vel novum & speciale; idque vel Electorale, quod separato Volumini s. Corpori includitur; vel Ducale, v. g. Gothanum, Vinariense &c. Vid. Matthiae Coleri oratio *de Origine, progressu & utilitate Juris Saxonici*, ejusd. tractatui *de Procesibus executivis* præmissa.
- c) Conradus Sincerus (seu qui sub hoc adscititio nomine latet, Kulpisius) eum Eike von Ribikowe appellat, quæ familia fortasse, lingua magis exulta, Repkau vocari maluit; atque hujus nominis familiam in Electoratus Saxonici ditione prope Bitterfeldam & Jesniciam adhuc vigere, commemorat *Heigius P. 1. Q. 8. n. 59.* & in Comitatu Mansfeldensi anno 1416 Heinmannum a Repkau vixisse, ex Spangenbergio testatur. Ita Horn. in *Jurisprud. Feudal. cup. 1. §. 32.* ex aëtis judicialibus animadvertisit, in Familia Nobilium a Reppichau, quorum

præfatio ea, quæ hactenus diximus, confirmat. d)

372. Secunda Juris Saxonici pars, Jus Feudale, itidem privata opera conscripta Seculo XIII. non autem jussu Friderici secundi. e)  
*Conr. p. 187. seqq.*

373. *Speculi Suevici*, duabus partibus, Jure provinciali & Feudali constantis, autor incertus, tempus vero Seculi XIV. f) nam Ottonis

stirps in nostra vicinia supereft, nomen Econis hodie que in usu esse. j. *Rinck. diff. de Speculo Saxonico*, fonte *Juris Saxonici commun.* *Altorf. 1718. bab.*

d) \* Latino idiomate, ut videtur, cœptum opus, jussu *Hoyeri Comitis Falckensteinii* Germanico, vel Saxonico antiquo consummavit Repkoviūs, sed in hodiernum Missicūm transtulit *Christoph. Zobelius*, qui idem cum Latino textu, forte a Glossatore confecto, & cum glossa edidit, Lipsiae 1561. Plures eosque Nobiles speculi auctoritas excitavit glossoatores Seculo XIX, sed qui in plerisque nugas egerunt. Anterioribus editionibus *additus est der Richt-Steig*, h. e. Processus antiquissimus.

e) \* Cui tribuitur a glossatore. Eundem *Epkonem Repkovium* autorem fuisse, admodum probabile est. In plerisque Codicibus tanquam appendix, s. liber IV. *Speculo Saxonico* adjectum, in multis nomen Repkoviūi præfixum noscitur, ut in Cod. MSto Bibliothecæ Paulinæ Lipsiæ ex quo suam edit. adornavit *Schilterus Argent.* 1695. post *Zobelianam cum glossa*, Lipsiae a. 1589. factam.

f) Contrarium variis rationibus probare inititur *Schilterus in præfat. Comm. Jur. Feud. Alemann.* ipsi Carolo M. hoc Jus Alemannicum s. Suevicum vindicans. Verum iisdem satisfecit *Thomasius in selectis capitibus Historia Juris feudalis Germanici*, §. 44. -- 55.

nis IV. & Innocentii res, ut vetustæ, recensentur. l. i. c. 358. g)

374. Et quamvis *Goldastus præfat. Tom. I. Reichssatz.* Bertholdum Baronem de Grimmenstein Autorem Speculi alicujus haberi, referat; dubitat tamen vulgati hujus Speculi, quod exhibit *idem Tom. I. Reichssatz. p. 31. 147.* parentem eum facere. Conf. *Conr. p. 188.*

375. Contenta utriusque Speculi non multum discrepant, nisi quoad successionem *Spec. Saxon. L. i. Tit. 17. seqq. & Tit. 19. in fin. Spec. Suev. c. 393. ff. 2.*

376. His juribus scriptis Germania usu est  
h) usque ad Seculum. XV. i) Hucusque  
enim

g) \* Pleraque in eo cum Jure Saxonico convenientia; varia ex legibus Romanis inepte admixta. Magna ejus olim autoritas, & in controversiis illustrium continua. Post primam editionem Argentoratensem, novam dedit *Sebast. Meichsnerus a. 1561. sub tit. Räyserlich- und Königlich Land- und Lehn-Recht, Sazungen, Sitten und Gebräuch ic.* Extat quoque Speculum Suevicum in collectione diversarum legum Germanicarum, *dem Teutschen Corpore Juris Publici & Privati &c.* quod collegit *Jo. Steph. Burgermeisterus, Ulm. 1717. 4.*

h) Hodie hæc Jura autoritatem tantum ab usu habere, putant plerique. Ita non receptum esse textum *Land. X. L. i. art. 36.* quia repugnat *Novell. 89. c. 8.* Sed hi sunt fructus asserti falsi: Jus Romanum pre Legibus Germanicis esse receptum. Quod tamen multi hodie non admittunt. Et certe a receptione unius Novellæ pre Lege Germanica ad receptionem totius Juris Romani infirma est consequentia.

i) \* Initia usus Juris Justinianeji jam in Sec. XIII. depic-

enim adhuc lites rariores, & simplex ordo judicii.

377. Ab illo tempore Academiæ institutæ, & Juris Doctores, judiciis atque consiliis admoti, Jus Romanum sensim in fora hic illic introduxere.

378. Expressa vero sanctione id introductum fuisse ante Judicij Cameralis Ordinationem, doceri non potest. *Conr. c. 33.*

379. A Maximiliano vero id constitutum putant multi, & ipse Conringius; quia passim inculcetur: *Dass nach des Reichs gemeinen Rechten gesprochen werden sollte.*

380. At Jura communia tunc non erant solum Jus k) Romanum, nec totum; siquidem receptio

hendimus, licet exigua. Sec. XIV. erectis Academias in Germania ad normam Italicarum Professores Juris Civ. facti. Inde Sec. XV. Doctores Juris constituti, qui licet minus benignum habuerint Fridericum III. Imp. tamen persisterunt. Sub Sigismundo & sequentibus Imp. sepius ad *Jus Cæsareum, die Räysserl. Rechte, die weltlichen Rechte, gemeine beschriebene Rechte*, provocatum invenimus. Posthac sensim per JCtos Iuris Civilis unice peritos in provincias Germaniae introductum est. Promota quoque juris Civ. incrementa per Reformationis Autores, ut jus Canonicum magis supprimeretur.

k) Neque si Ius Romanum receptum esset, aliter receptum esset, quam in subsidium, si statuta & consuetudines defecerint. *Ord. Cam. P. i. t. 57. & quatenus Ius Romanum statui hodierno applicari potest. Instr. Pac. M. O. art. 2. §. 1. 2.*

receptio illi autoritatem Juris Communis tribuerat,

381. Ergo nec hodie ulterius obstringit, nisi qua receptum est. 1)

382. Accedunt vero jura noviora in Reces-  
sibus Imperii, m) Constitutione Criminali, n)  
Ordina-

l) \* Nota est controversia Schilterum inter & Kulpisium agitata v. Schilteri Exercit. ad π. §. 12. & Jo. Georg. Kulpisi, sub persona Conradi Sinceri, civis Germani, de Germanicarum legum veterum ac Romani juris in Rep. nostra origine autoritateque præsentis, Dissert. Epistolica, Lips. 1682. conf. Henr. Linck, de Juris Justinianei recep-  
tione atque autoritate in Germania, diss. II. Altorf. 1679. & 80. Thomasius Dissert. de rite formando statu  
controversæ: an legum Juris Justinianei sit frequens,  
an exiguis usus practicus in foris Germania? 1715.

m) Hi lingua Germanica concipi & publicari cœpti sub Rudolpho I. Imp. anno 1287. quo tempore Herbipoli primus Germanicus Recessus Imp. emanavit. & omnes publici privatique actus majoris momenti Germanico idiomate celebrari, tabularumque monumenta hoc modo conscribi cœperunt B. Rbenan. in Germ. L. 2. p. 113. Stumpff. 1. Helvet. c. 8. integrum Recessum exhibet Lebmann. in Chron. Spirens. Lib. 5. cap. 108. \* Inprimis vero per Recessum ultimum de a. 1654. permulta civilia sunt ordinata.

n) \* Ad tollendos abusus varios & defectus insignes ju-  
dicatorum criminalium, in comitiis Vormatiensibus  
an. 1521. composita, & ex Ordinat. Crim. Bambergensi, quam Georgius Episc. a. 1508. publicaverat,  
potissimum depronata, post varias difficultates a. 1532.  
in comitiis Ratisbonensis confirmata.

Ordinationibus Judicij Cameralis, o) & Constitutionibus singularum fere provinciarum. Quæ singula recensere nimis longum es-  
set. p)

o) \* Ordinatio Cameralis prima in comitiis Vormat. a. 1495. a Maximiliano I. publicata. Nova in comitiis Lindav. a. 1496. a Cameralibus exhibita, in comitiis Augustanis a. 1500. confirmata fuit. Post has maxime notabilis ordinatio nova a Garolo V. in Comitiis Vormat. 1521. publicata, & nova Reformatio, quam in comitiis August. a. 1555. Ferdinandus I. publicavit, eaque per Capitulationes confirmata. Per Recessum novissimum quædam circa Processum Cameralem quoque sunt constituta, quæ hodie obseruantur. Singulas Ordinationes reperire licet in *Corpo Recessuum*. vid. ap. Lünig. R. Archiv. P. gen. Bürger Be-  
griff des Kärsel. Cammer-Rechts, was durch den Westph. Frieden, und den jüngern Regensp. Reichs-Abschied de a. 1654. weiter vor Verän-  
derungen darinn geschehen.

p) Ordo vero in causis decidendis hic est: primo re-  
spicitur ad pacta, vel dispositiones ultimæ voluntatis;  
deinde ad statuta & consuetudines illius loci; porro ad  
jura ejus provinciæ, hinc ad Jus Germanicum commu-  
ne, (& novum quidem indistincte, antiquum vero, qua  
receptum est,) denique ad Jus Civile Romanum, vel  
Canonicum pro argumentorum diversitate. Ceterum  
de opinione vulgari, quasi Jura German. stricte sint in-  
terpretanda, ut Juri Communi quam minime contrari-  
entur, vid. Sincer. dissert. Epist. de German. leg. autorit.  
p. m. 62. licet etiam aliquando restringantur, v. g. Land-  
R. l. i. art. 52. per Const. Elec. Sax. 12. P. 2 item Land-  
R. L. i. art. 35. per Const. Elec. Sax. 53. P. 2. hæc tamen  
interpretationis authenticæ exempla non faciunt nor-  
mam perpetuam in doctrinali, & adhuc incertum est,  
an illæ restrictiones præcise ad Jus Romanum, qua tale,  
sint accommodatae.



*Ttk 319*

**ULB Halle**  
004 917 197

3



*me*



B.I.G.



GEORGII BEYERI  
I. V. D. PANDECT. P. P. VITEMBERG. ET  
DICASTERIORUM IBIDEM ASSESSORIS  
DELINÉATIO  
HISTORIÆ IVRIS  
ROMANI ET GERMANICI  
AD TIT. PAND.  
DE ORIGINE JVVIS  
POSITIONIBVS SUCCINCTIS  
COMPREHENSA  
ITERVM SEORSIM EDITA ET SCHOLIAS  
NONNVLLIS AUCTA.



LIPSIAE,

Impensis Iaredum JO. FRIDERICI BRAUNII,  
MD CCXXXIX.